

THE LIBRARY
OF
THE UNIVERSITY
OF CALIFORNIA
LOS ANGELES

GIFT

Dr. M. N. Beigelman

DESCRIPTIO ANATOMICA
OCVLI HVMANI
ICONIBVS ILLVSTRATA

AVCTORE

IOHANNE GOTTFRIED ZINN

M. D. MED. ET BOTAN. PROF. P. ORDIN. IN ALMA VNIVERSITATE GOTTINGENSI, ACAD. REG. SCIENT. BEROL. SODALI, SOC. REG. SCIENT. GOTTING. MEMBRO EXTRAORDINARIO.

GOTTINGAE

APVD VIDVAM B. ABRAMI VANDENHOECK.

MDCCLV.

AC
8
B37
Z66a
1755
Rare

ILLVSTRISSIMO DOMINO

DOMINO

GERLACO ADOLPHO DE MVNCHHAVSEN

IN STRAVSFVRTH RELIQVA

AVGVSTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE

REGIS

A CONSILIIS REGENDI ELECTORATVS

BRVNSVICENSIS INTIMIS

FISCI REGII PRAESIDI

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

CVRATORI

ILLVSTRISSIME DOMINE,

Purpuram tuam quod huic opuſculo praetexere auſus ſum, indulgentia, qua me fouiſti, DOMINE, facit. Nec eſt cuius nomen in fronte gerere maiore iure debeat, quam tuum. Tuae DOMINE, munificentiae in totum acceptum referre debeo, quod coeptus liber ad finem perduci, & in lucem emitti potuerit. Tuo praeſidio amor anatomes deſperatus pene, ſeruatus, & locus amori inſeruiendi datus eſt. Haec tua procliuis in me benignitas, vnde quaſi prono alueo multa etiam alia commoda, quae pio gratiſſimoque animo veneror, in me fluxerunt, currenti ſtimulum ad-

addidit, vt nulli labori parcerem, nihilque eorum, quantum in meis viribus eſſet, omitterem, vt dignus tanto patrono liber prodiret. Si quid vero vtilitatis inde capient, qui eo poſthac vtentur, illud omne tui muneris eſſe norint. Deus TE ſeruet, ILLVSTRISSIME DOMINE, & vegeta ſenectute gaudentem, commodo huius Academiae, & rei publicae diutiſſime rerum bene geſtarum gloriae intereſſe iubeat.

ILLVSTRISSIMI NOMINIS TVI

addictus deditusque

IOH. GOTTFR. ZINN.

PRAEFATIO.

Cuius iam ante anni ſpatium publicam mentionem feci in epiſtola de vaſis ſubtilioribus oculi *ad* ILL. WERLHOFIVM, *Virum vtraque arte Apollinea inclytum, cuius carminibus animum non minus refici, quam arte corpus iuuari dixeris, nunc prodit* deſcriptio anatomica oculi humani. *Nonnulla hic monenda eſſe duxi, quae ad ſortem huius libri & occaſionem illius conſcribendi pertinent.*

Ab illo inde tempore, quo ad Medicinam animum applicare coepi, ante omnes fere reliquas ſcientiae medicae partes, ſtudii inprimis Anatomici amore captum me fuiſſe fateor, cui proinde plurimum temporis non ſine voluptate impendi. Cum ergo Berolini, quo copia cadauerum & frequens occaſio ſecandi me inuitauerat, exercitiis anatomicis totum me tradidiſſem, inter omnes reliquas corporis humani partes pulcherrima fabrica oculi, organi inprimis nobiliſſimi me allexit; ad quam accuratius inueſtigandam cum ipſe aggrederer, facile vidi, in ſubtiliſſimis oculi partibus diligentiam Anatomicorum nondum omnia ita iam occupaſſe, quin multa ſuperſint, quae vlterius

&

& accuratius examinari mereantur. Nec natura quaerentem deſeruit. Poſtquam autem ad celeberrimam hanc Muſarum ſedem clementiſſimi noſtri Regis nutu vocatus munus publice Medicinam docendi in me collatum ſuſceperam, eo maiori animo ad indagandam & deſcribendam fabricam oculi humani acceſſi, quum praeterea non adeo leuis ſpes mihi eſſet, fore, vt conſilio & ſuppellectili librorum Venerandi Praeceptoris, ILL. HALLERI *vſus, eo facilius & plenius librum hunc perficere liceret.*

Diſceſſus quidem Viri huius ſummi a noſtra Academia & theatro Anatomico, non parum ſpem meam turbauit. Non tamen omnem euaneſcere paſſus eſt Illuſtriſſimi Maecenatis praeſens ſemper & efficax in omnes literarum cupidos benignitas. Ipſius ſumma ſapientia cauit, vt in exercitiis anatomicis quodammodo ad hoc vsque tempus pergere, coeptumque opus ad finem perducere licuerit; quam quidem beneuolentiam inter ſumma, quae in me extare voluit, beneficia lubentiſſime refero, & gratiſſima mente veneror.

Longe tamen omni licet adhibita diligentia, deſcriptionem hanc anatomicam ab illa perfectione abeſſe ſentio, quam illi optaueram; & vitia certe ipſe video, reprehenſionem aliorum incurſura. Sed ipſa fata, multa vlterius perſecuturo obſtiterunt, neque ſemper ea cadauerum copia ad manus fuit, quam voto conceperam. Obſtacula ſeſe mihi obtulerunt, quae vix, nec niſi ſummo huius ſtudii amore ſuperare licuit, eo maiorem autem moram mihi fecerunt, quod neque plane euitari, neque praeuideri poterant. Quae quum ita ſint, ſpes mihi eſt, fore, vt aequi rerum iudices eo facilius me excuſent.

In ipſo autem opere eas inprimis oculi partes maiori prae reliquis diligentia & indefeſſo ſtudio elaborandas mihi ſumſi,

quas

quas ab aliis minus accurate examinatas fuiſſe videbam; eamque ob cauſſam cuilibet fere parti breuem hiſtoriam præmittere, aliorumque virorum fide dignorum opiniones interdum addere viſum eſt, vt cum noſtra deſcriptione conciliari, & quid prioribus inuentis addere nobis contigerit, facilius perſpici poſſet. Fidem obſeruationum vbique ſpondeo. Nihil attuli, niſi quæ ipſe, & iteratis vicibus, vidi, & interdum, qua adminiſtratione vſus fuerim, monui, vt noſtrae obſeruationes eo melius repeti & examinari poſſent. Icones addidi, quae obſeruationes aut nouas mihi viſas, aut quas prae aliis memoratu dignas eſſe credidi, exhibere, & deſcriptionem noſtram illuſtrare poſſent, omnem ergo diligentiam adhibui, vt accurate naturam exprimerent, illis tamen inprimis partibus intentus, quas in ea figura proponere viſum fuit. Plurimæ tamen fabricam exhibent magnitudine vltra naturalem aucta, vt partes ſubtiliores & ſaepe in oculo humano nimis exiguæ eo facilius & diſtinctius exhiberi poſſent. Icones delineatas ſeruo ſumma arte factas, quae fidem meam confirmare poſſunt. Plures addidiſſem, ſi res & fata tuliſſent.

Vnice autem hoc in libro ſiſto deſcriptionem Anatomicam, ſine omni Phyſiologica theoria. Tædio mihi fuit, aliorum opiniones ex libro in librum transſcribere, aut hypotheſes experimentis non ſatis ſuffultas lectori obtrudere. Nimis multa ſupereſſe vidi in Phyſiologia partium oculi, quae vlteriori examine digna videntur. Facile perſpexi, plura adhuc experimenta inſtitui debere, plures obſeruationes, inprimis ex Anatome comparata repetendas, requiri, priusquam de actione iridis & proceſſuum ciliarium, de vſu chorioidis, de motu muſculorum oculi, & de diuiſione neruorum, certius quidquam determinari poſſit. Eo maiori autem ſtudio laboribus hiſce inſiſtam, oculos variorum animalium diligentiſſime examinabo, omnique ardore in id incumbam, vt alio tempore Phyſiologicam theoriam noſtra deſcriptione aliisque

 ob-

obſeruationibus fundatam peculiari tractatione lectoris judicio ſubmittam.

Animus mihi fuit & adhuc eſt, & oculi fabricam denuo accuratius perſcrutari, & reliqua ſenſuum organa corporis humani eodem modo, anatomico examini ſubiicere; at vero hoc in conſilio multa a tempore pendent. Amor quidem Anatomes nunquam me deſeret; vtinam occaſio ſecandi amori reſponderet. Monendum praeterea eſt, maximam partem huius operis deſcriptam & typis excuſam fuiſſe inter negotia domeſtica quidem ſed grauiſſima, a quibus reliqua vitae ſalus nimis pendebat, vt non quotidie diſtrictum me tenerent. Quum praeterea librum ob varias rationes diutius premere non liceret, lector beneuolus humaniſſime excuſabit, ſi quae cum ſphalmatis typographicis, in ipſa dicendi ratione occurrant minus accurate dicta.

SYLLOGE CAPITVM ET DIVISIONVM HVIVS LIBRI.

Caput. I. De Tunica ſclerotica.

§. I. Bulbus oculi deſcribitur.

§. II. Fabrica ſcleroticae.

§. III. Facies externa & interna.

§. IV. Diuerſa craſſities ſcleroticae.

§. V. De origine ſcleroticae ſententiae nonnullae auctorum.

§. VI. Noſtrae obſeruationes circa originem ſcleroticae.

§. VII. Quomodo pia mater nerui optici in laminam internam ſcleroticae abeat.

§. VIII. Num tendineae expanſiones muſculorum propriam tunicam, albugineam dictam, conſtituant.

§. IX. Connexio ſcleroticae cum cornea.

§. X. Fabrica corneae.

§. XI. Craſſities corneae.

§. XII. Conuexitas & figura corneae, in facie externa & interna.

§. XIII. Num coniunctiua & epidermis ſuper corneam producantur.

Cap. II. De Tunica chorioide.

Sectio I. De chorioide proprie ſic dicta.

§. I. Denominatio chorioidis.

§. II. Facies externa eiusque connexio ope celluloſitatis cum ſclerotica, facies interna omni nexu libera.

§. III. Nigredo, qua vtraque facies chorioidis tingitur.

§. IV. Opiniones auctorum circa originem chorioidis.

§. V. Connexio chorioidis ope celluloſitatis cum pia matre nerui optici.

§. VI. Deſcriptio fabricae chorioidis in oculo recenti obſeruatae.

§. VII. Fabrica chorioidis ex oculo, cuius vaſcula cera ſunt repleta; reticulum vaſculoſum, quo ab interna facie obducitur.

§. VIII. Vtrum tunica chorioides ex duabus lamellis ſit compoſita?

§. IX. De annulo celluloſo, qui ſub nomine orbiculi ciliaris ſcleroticae chorioidem annectit.

Sect. II. De Proceſſibus ciliaribus.

§. I. Hiſtoria proceſſuum ciliarium.

§. II. Denominatio corporis ciliaris & proceſſuum ciliarium.

§. III. Deſcriptio corporis ciliaris.

§. IV. Proceſſus ciliares in oculo recenti.

§. V. Num proceſſus ciliares ex fibris muſculoſis ſint compoſiti.

§. VI.

§. VI. Fabrica proceſſuum ciliarium in oculo, cuius vaſcula cera ſunt repleta.

§. VII. Connexio proceſſuum ciliarium cum partibus vicinis.

Sect. III. De Iride.

§. I. Hiſtoria iridis.

§. II. Iridis figura, ſitus; pupilla; iridis tergum pigmento nigro illitum.

§. III. Fabrica ſtriata iridis in oculo recenti.

§. IV. Neruuli & vaſcula iridis.

§. V. Sedes colorum variorum iridis.

§. VI. Num iris ad motum aptiſſima propago vera chorioidis dici poſſit?

Cap. III. De Tunica retina.

§. I. Denominatio retinae.

§. II. Origo retinae a ſubſtantia medullari nerui optici.

§. III. Fabrica retinae.

§. IV. De connexione retinae cum partibus vicinis.

Cap. IV. De Humore vitreo.

§. I. Humoris vitrei ſitus, moles & pelluciditas.

§. II. Fabrica celluloſa humoris vitrei.

§. III. Membranula coronae ciliaris, cuius ope lens cryſtallina cum vitreo coniungitur, & canalis Petitianus.

§. IV. Vaſcula humoris vitrei.

Cap. V. De Lente cryſtallina.

§. I. Situs, figura, color lentis cryſtallinae.
§. II. Fabrica lentis.
§. III. Capſula lentis.
§. IV. Vaſcula lentis.

Cap. VI. De Humore aqueo.

§. I. Humoris aquei ſedes in duas cauitates diuiſa.
§. II. Natura & fontes humoris aquei.

Cap. VII. De Orbita.

§. I. Caui orbitae deſcriptio.
§. II. Oſſa, quae orbitam componunt.

Cap. VIII. De Muſculis bulbi oculi.

§. I. Hiſtoria horum muſculorum.
§. II. De muſculorum origine communi ex fundo orbitae.
§. III. De ligamento communi, vnde oriuntur muſculi adducens, deprimens, & abducentis caput alterum.
§. IV. De origine muſculi adducentis.
§. V. De origine muſculi deprimentis.
§. VI. De origine muſculi abducentis.
§. VII. De origine muſculi attollentis.
§. VIII. Inſertio muſculorum rectorum oculi.
§. IX. Diuerſa ſingulorum muſculorum rectorum directio, longitudo, craſſities.

§. X.

§. X. De origine, directione & inſertione muſculi obliqui ſuperioris.

§. XI. De muſculo obliquo inferiori.

Cap. IX. De Neruis oculi.

§. I. Hiſtoria neruorum oculi.

§. II. Neruorum opticorum iter & inſertio.

§. III. Fabrica nerui optici.

§. IV. Deſcriptio nerui tertii paris, (ſic lege pro ſecundi, & corrige errorem plane manifeſtum pag. 194.)

§. V. Iter nerui quarti paris.

§. VI. Iter nerui ſexti paris.

§. VII. Duplex radix, ſitus & figura ganglii opthalmici.

§. VIII. Neruuli ciliares ex ganglio illo orti.

Cap. X. De Arteriis oculi.

§. I. Deſcriptio arteriae opthalmicae eiusque ramorum.

§. II. Arteriolae ciliares breues.

§. III. Arteriolae ciliares longae & anteriores cum circulo iridis.

§. IV. De corneae vaſculis, ſed ſuſpectis, & reliquis opthalmicae ramis.

Cap. XI. De Venis oculi.

§. I. Hiſtoria venarum oculi.

§. II. Deſcriptio trunci venae eiusque ramorum.

§. III. Venae ciliares in vaſa ſic dicta verticoſa abeuntes.

§. IV.

§. IV. Venulae ciliares longae & anteriores.

§. V. Num circulus venoſus iridis in homine adſit.

§. VI. Venula centralis & retinae.

Cap. XII. De Palpebris.

§. I. Fabrica palpebrarum.

§. II. Muſculus leuator palpebrarum.

§. III. Muſculus orbicularis palpebrarum.

§. IV. Glandulae ſebaceae palpebrarum, Meibomianae dictae.

Cap. XIII. De Viis lacrymarum.

§. I. Glandula & caruncula lacrymalis.

§. II. Canaliculi lacrymales.

§. III. Saccus lacrymalis.

§. IV. Ductus naſalis in narium interiora apertus.

DE-

DESCRIPTIO ANATOMICA OCVLI HVMANI.

CAPVT. I.

DE TVNICA SCLEROTICA.

Oculi hiſtoriam anatomicam daturus initium ſumere viſum fuit ab ipſa deſcriptione globi aut, vti vulgo vocatur, bulbi, earumque partium, quibus ille componitur, & quas in ſinu ſuo continet; vt demum, ea abſoluta, ad partes illi circumpoſitas accedere poſſimus. Quum enim bulbus, oculi ipſas partes nobiliſſimas contineat, quae viſus organum inprimis conſtituunt, ordo ille, qui incipiens ab ipſis partibus eſſentialibus, ad reliquas minus nobiles nos ducit, maxime naturalis mihi viſus fuit; qua in re conſentientem inprimis habeo Ill. WINSLOWVM.

A §. I.

§. I.
Bulbus oculi deſcribitur.

Bulbus ergo, qui ſaepius proprie oculus dicitur, in homine perfecte fere globoſus eſt, ſi corneae nempe protuberantiam demas, niſi quod anterius parum ſit compreſſus, etſi in plurimis vix illud aduerti queat, interdum longior paulum quam latus; (*a*) qui aliis in animalibus ab illa figura longe abludit, quum in piſcibus & auibus poſterius ſphaericus anterius complanatus, in animalibus ruminantibus inprimis multo latior quam longus, in talpa autem anterius in conicam corneam productus deprehendatur, (*b*) ſi autem oculus plano imaginario ad perpendiculum deſcendente diuidatur, vt in anteriorem & poſteriorem partem ſecedat, ſectio ſemper erit perfecte circularis, quod inprimis tenendum eſſe videtur, ne in errorem PETITI incidamus, cui ſinus & depreſſiones leuiores a muſculis in externa ſcleroticae facie excauatae ita impoſuerunt, vt oculi bulbum ſub muſculis robuſtioribus paulum eſſe complanatum & polygonum fere crederet. (*c*) Bulbus oculi recens in corpore viuo aut paulo ante mortuo vbique aequabiliter turgeſcit, & digito comprimenti fortiſſime reſiſtit; quod ſi vero magna humorum, & inprimis humoris vitrei pars per ipſam ſcleroticam transſudando in auras auolauerit; a figura ſphaerica abludit, & ſclerotica pone inſertionem muſculorum collabitur & rugas agit, quum anterior ſcleroticae pars figuram circularem facile ſeruet; quod non adeo ſcleroticae ante inſertionem muſculorum incraſſatae, quam potius orbiculo ciliari, & inprimis lenti ibi ſuſpenſae ſolidiori tribuendum eſſe crediderim, quae ſcleroticam ibi ſuffulcit, & ſatis ſemper diſtendit, ne, humorum licet magna parte difflata, collabi poſſit. Bulbus viri bulbo feminae ſemper maior eſt, etſi femi-

(*a*) *Conf. Prim. lin. Phyſiol.* §. DII.

(*b*) *Vid. Obſeruat. noſtr. de differentia fabricae oculi humani & brutorum in Comment. R. Soc. Sc. Gotting. T.* IV.

(*c*) *Mem. Ac. R. Sc.* 1726. *p.* 70.

ſemina virum ſtatura forte aequet; & eo maiorem ad reliquas corporis partes oculus habet rationem, quo homo aut aliud animal origini eſt propior, vt in embryone teneriori dimidiam fere capitis partem oculi conſtituant, & in piſcibus, etiam adultis, cerebrum oculis nihilo ſit maius, quod in inſectis nerui optici fere eſt appendix. (*d*) Sed in homine quoque moles nerui optici & neruorum ciliarium, qui omnes ſoli globo, parti, ſi cum aliis corporis partibus comparaueris, ſatis exiguae, vnice inſeruiunt, molem nerui, linguam partem ſenſiliſſimam adeuntis, aut nerui organo auditus deſtinati, non ſolum ſuperat, ſed & ipſi moli neruorum cardiacorum non adeo multum cedit, vt vel inde ſumma huius partis nobilitas ſatis eluceat.

Pars illa nobiliſſima, vt eo facilius ab omnibus externis iniuriis conſeruetur, ſedet in oſſeo cauo profundo, a quo vndique defenditur, & anterius, vbi cauum illud hiat, ligamenta tarſea praetenſa ſibi habet; ſed vndique etiam ſuffulcitur & excipitur pinguedine molliſſima, vt ſumma celeritate ſine vlla iniuria aut incommodo facillime pro lubitu moueri poſſit.

Ipſum autem globum inprimis conſtituunt tria inuolucra, quorum exterius ſclerotica, medium choroides, & intimum retina dicitur; & tres denique, vti vulgo vocantur humores, aqueus, vitreus, & cryſtallinus, qui ſatis tamen improprie hoc nomine inſignitur. Alii plura ac tria dixerunt inuolucra, quae iterum ad tres claſſes retulerunt, quorum alia dixerunt propria, quae tria modo dicta ſunt, alia acceſſoria, quae partem tantum oculi inuoluunt, albuginea nempe & coniunctiva; alia capſularia, quorum alterum capſula lentis, alterum humoris vitrei dicitur. (*e*) Cum autem neque inuolucris acces-

(*d*) *Conf. Comment.* BOERHAAV. *T.* IV. *§.* DXVI.

(*e*) *Vid.* WINSL. *Expoſ. Anat. Tr. de la tete.* *§.* 208.

acceſſoriis, neque capſularibus ſatis proprie nomen inuolucri conueniat, quae aut non ſatis vera ſunt, aut ad particulam tantum globi pertinent, tres tantum tunicas, ſcleroticam, chorioidem & retinam ad inuolucra bulbi refero. Accedamus ergo ſtatim ad deſcriptionem ſcleroticae.

§. II.

Fabrica ſcleroticae.

Sclerotica a duritie dicta, Graecis κερατοειδής, recentioribus & inprimis Gallis cornea quoque appellatur, qui illam in duas partes diſtinguunt, opacam corneam, quae noſtra eſt ſclerotica, & pellucidam, quae cornea proprie dicitur. Sclerotica aut cornea opaca maior & poſterior, ab altera cornea minori, anteriori & pellucida, diſtincte nunc conſideranda, primum & exterius praebet oculo inuolucrum, ab ingreſſu nerui optici ad corneam vsque pellucidam porrectum, inprimis inſeruit reliquis partibus mollioribus defendendis, figurae formandae, muſculis ſuſtinendis, vaſis fulciendis. (*f*) Membrana eſt ſatis tenax, ex multis ſtratis lamellarum ſibi incumbentibus & inter ſe concreſcentibus compoſita, quorum fibrae ita ſibi ſunt intertextae & intricatae, cutis fere inſtar, vt ſine dilaceratione nunquam in laminas integras poſſit ſeparari, etſi duae diuerſae plane originis tunicae, ad illam efficiendam conueniant; quarum altera exterior, craſſior ſclerotica proprie ſic dicta dici poteſt; altera autem interior, tenuior, propago eſt piae matris cum neruo optico adlatae, quae a neruo circa originem retinae reflexa veram ſcleroticam, tamquam adſcititia quaedam membrana, intus oblinit, de qua paulo poſt fuſius dicetur. (*g*) Lamina tamen illa interior cum exteriori tam arcte cohaeret & in vnum iungitur inprimis in adulto, vt legitime diuidi non poſſit, & ſclerotica tunica ſimplex dici poſſe

(*f*) *Vid.* BOERH. *Inſt. Med.* §. 518.

(*g*) *Vid. infra* §. VII.

poſſe videatur. Laminae illae inter ſe concretae & arctiſſime iunctae formant folliculum, qui humores coërcet, in homine viuo ſumme tenſum & elaſticum, vt, per vulnuſculum, acu quo lentem opacam deprimunt, inflictum, humor vitreus propulſus fuerit, quod PETITO ſaepius contigit, (*h*) & in oculo hominis mortui paulo poſt mortem euulſo e per ſcleroticam diſciſſam choroidea & retina ſola illius conſtrictione propullulent. STENONIVS (*i*) quidem dudum iam credidit, *ſclerodem tunicam magna ex parte ex fibrarum motricium tendinibus eſſe compoſitam, quandoquidem non modo durae tunicae vere tendineae ſit continua, ſed etiam tendines vere excipiat*; quem (*k*) VALSALVA ita eſt ſecutus, vt illam ex muſculorum tendinibus & pia matre originem ducere docuerit; cum quibus ILL. MORGAGNIVS (*l*) ita conſentit, vt non ſolum muſculorum rectorum tendines ad anteriorem, obliquorum ad poſteriorem ſcleroticam ex parte efficiendam conuenire credat; ſed etiam membraneas illas vaginas, muſculis oculi, antequam in bulbum ſe infigant, nec paruum ad tractum & inprimis tendini obliqui ſuperioris adiunctas. Contra illam autem opinionem pugnare ſatis videtur ipſa fabrica ſcleroticae peculiaris, fere coriacea, a tendinum fibris argenteolis diuerſiſſima, quae ad nimis pauca huius tunicae loca pertingunt, nec vllibi craſſitiem tunicae ita augent, vt incrementum illud obſeruari poſſit; in multis animalibus, inprimis in piſcibus & amphibiis tendines multo ac in homine tenuiores, in ſcleroticam craſſiſſimam, cum tendinibus vix comparandam, inſeruntur; membraneae autem illae vaginae in celluloſum inuolucrum abeunt, bulbo circumpoſitum, facili negotio, tum maceratione, tum ſcalpello vbique ſeparandum, vt aeque

(*h*) *Mem. Ac. Roy. Sc.* 1728.

(*i*) *Can. carch. diſſ. cap. p.* 103.

(*k*) *Diſſ.* II. §. III.

(*l*) *Epiſt. anat.* XVI. §. 37.

que minus, ac celluloſa tela muſculis obuoluta, &, qua peritonaeum ambitur, pro peculiari tunica haberi poſſe videatur.

§. III.

Facies externa & interna.

Sclerotica, quo nomine ſemper vtramque laminam ſuperius dictam comprehendimus, in externa facie candidiſſima & ſatis leuis ſemper deprehenditur, in homine & aliis animalibus, ſi expanſio celluloſa, qua obuoluitur, remota fuerit, quo etiam albo colore intima eius ſubſtantia gaudet, vti iam olim CELSVS (*m*) & VAROLIVS (*n*) tunicam hanc *albam* dixerunt, in interna autem facie, qua chorioidem attingit, fuſco colore, ſed in infante minus, tincta, in fetu rubella & laxior. In interiori ſubſtantia parum vaſculoſa, in externa autem facie plurimis vbique pingitur vaſculis, RVYSCHIO iam dictis, (*o*) arterioſis, (*p*) quae a ciliaribus poſterioribus, anterioribus, aliisque vicinis oriuntur, & venoſis, quae partim cum neruulis adueniunt, partim ab ipſis trunculis venoſis, ſcleroticam perforantibus, venulisque muſcularibus in ciliares anteriores abeuntibus, originem ducunt, quae vaſcula in tela celluloſa ad omnem oculi ambitum diuiduntur. In facie interiori multa apparent foraminula, eaque inprimis frequentiora, circa ingreſſum nerui optici, & prope originem corneae, vbi arteriolae ciliares poſteriores & anteriores, breuiſſimo itinere, ſcleroticam perforant; nec pauciora in parte intermedia, vnde venulae in vaſa vorticoſa abeuntes & plurimi neruuli ciliares prodeunt, qui oblique illam pertundunt, ad aliquot linearum ſpatium inter laminas eius decurrentes, & nerui inprimis in interna eius facie ſulcos leuiter inſculptos inueniunt, quibus excepti,

(*m*) *De Medicina l.* 7. *c.* 7. *n.* 13.

(*n*) *Anat. L.* I. *c.* IV.

(*o*) *Theſ. anat.* II. *Aſſ.* I. *n.* VIII.

(*p*) Plura vide in Ill. HALLERI *Faſc.* VII. *Tab. art. oculi.*

excepti, & celluloſa laxiori ſcleroticae reuincti, ad iridem procurrunt.

§. IV.

Diuerſa craſſities ſcleroticae.

Poſtrema pars Scleroticae circa ingreſſum nerui optici craſſior ſemper eſt, vbi in homine ad lineae fere craſſitiem accedit, (*q*) in aliis animantibus, vt bobus, adhuc multo craſſior, quam in balaenae oculo ad digitum fere craſſam delineauit & dixit RVYSCHIVS (*r*) in plurimis tamen piſcibus & auibus in fundo mollior & tenuior, ſi cum parte anteriori cartilaginea & fere oſſea conferas, inuenta fuit. (*s*) Sed in homine, quo propius ad corneam accedit, eo magis ſemper extenuatur, vt in infante ipſum pigmentum nigrum chorioidis per tenuiſſimam ſcleroticam pelluceat, & candorem, quo corneam cingi videmus, ex albo coeruleum reddat, quod ipſe DIEMERBROECKIVS (*t*) iam obſeruauit. Etſi vero omnes Anatomici ab ipſo CELSO, (*u*) qui ſcleroticam albam ſatis craſſam, pupillae autem loco extenuari tradiderat, & GALENO, (*x*) in eo fere conſentiant, ſcleroticam poſterius eſſe craſſiorem, prope corneam autem attenuari; (*y*) RVYSCHIVS (*z*) tamen ſcleroticam a tendinibus muſculorum rectorum incraſſari docuit, cui Ill. MORGAGNIVS ita adſtipulatur, (*a*) vt *ſcleroticae quidem illam partem, cui ipſi tendines affiguntur, craſſiorem fieri; illarum autem affixionum interſtitia eundem, quem in mediis lateribus-*

(*q*) Craſſitiem in fundo veteribus non fuiſſe ignoratam egregie demonſtrat, MORGAGN. *Epiſt.* XVI. §. 39.

(*r*) *Th.* II. *T.* I. *f.* 1. 2. 6. *Theſ. Max. n.* 51.

(*s*) Conf. MORG. *Epiſt.* XVI. §. 40. & praeter loca ibi allegata, Vid. *Pariſ. Mem. pour ſervir à l'hiſt. natur. p.* 219. *p.* 375. Vid. quoque, quae diximus *Comm. R. Soc. Sc. Gotting. T.* IV.

(*t*) *Anat. L.* III. *c.* XVII.

(*u*) *l. cit.*

(*x*) *De vſu part. l.* 10. *c.* 3.

(*y*) Conf. MORG. *Ep. cit.* §. 38.

(*z*) *Theſ. Anat.* II. *Aſſ.* I. *n.* 10.

(*a*) §. 39.

bus habebat, craſſitudinis modum ſeruare perhibeat, qua tamen in re obſeruationes meae veterum ſententiam accedere me cogunt, poſtquam in plurimis oculis humanis rem illam indagare viſum fuit. Tendines muſculorum rectorum, vbi ſcleroticae incumbentes circa bulbum trochleae inſtar ſe inflectunt, illam ſcleroticam paulo excauant ſinumque ſibi parant, quo excipiantur, vt, ſi contra affixiones tendinum ſcleroticae partem diſſeces, illam ibi certe tenuiorem inueniamus, ac in interſtitiis tendinum. Qua in re conſentientem habeo PETITVM, (*b*) qui ſcleroticae partem, muſculis rectis ſubiectam, prope illorum inſertionem non ſolum planiorem, ſed etiam eodem loco tenuiorem eſſe obſeruauit. Nec vnquam ſatis certo vidi, ſcleroticam inſertione tendinum circa ambitum corneae craſſiorem factam fuiſſe, quae ad ipſam vsque corneae originem eandem craſſitiem, quam interſtitia affixionum tendinum habuerant, ſeruare mihi videbatur. Incremento autem ſcleroticae ab affixione tendinum inprimis repugnant oculi animalium, in quibus tendines tenuiſſimi, aut ſcleroticae, ad duas fere lineas iam craſſae, quae ad inſertionem tendinum non demum craſſeſcere incipit, ſed ibi iam eſt craſſiſſima, aut cartilagineae & fere oſſeae inſeruntur, vt illis collatis maior ſcleroticae in parte anteriori craſſities tendinibus tribui vix poſſe videatur.

§. V.

De origine ſcleroticae ſententiae nonnullae Auctorum.

Ipſa ergo ſclerotica poſtrema, qua parte eſt craſſiſſima, pertunditur foramine orbiculari, quo nerui optici ſubſtantiam medullarem pia matre cinctam ad interiora oculi transmittit, eoque loco cum inuolucro nerui optici, & a dura & a pia matre ſibi dato, coniungitur. Qua autem ratione haec ſcleroticae cum inuolucro nerui connexio contingat, vtrum

(*b*) *Mem. Ac. Sc.* 1726, *p.* 70.

vtrum dura mater in ipſam ſcleroticam continuetur, an ſclerotica propria & peculiaris tunica ſit, vaginae nerui arcte tantum connexa, inter omnes fere Anatomicos ſemper quaeſitum & pugnatum fuit. Plurimi nempe & veterum & recentiorum cum GALENO (*c*) adfirmant, duram matrem cum neruo adlatam in ipſam ſcleroticam demum abire, vti chorioidem a pia matre deducunt. Nonnulli autem inter recentiores, vti HEISTERVS, (*d*) MAVCHART, (*e*) ALBINVS, eiusque diſcipuli, KAVWIVS, (*f*) LOBE, (*g*) HEVERMANN, (*h*) MOELLER, (*i*) & inter Gallos, WINSLOWVS, (*k*) SENNAC, (*l*) aliique (*m*) contendunt, ſcleroticam eſſe tunicam oculo propriam, peculiarem, cum inuolucro nerui, a dura matre dato, arctiſſimo vinculo connexam.

Vt autem, quae de illa fabrica ſunt dicenda, eo facilius poſſint intelligi, pauca prius circa inuolucrum nerui optici praemittenda eſſe videntur. Nerui nempe vagina dura matris propago, de qua alibi dicta fuit, in duas iterum facillime diuidi poteſt laminas, vti RVYSCHIVS (*n*) iam docuit, quarum interior, neruo, quem arcte complectitur, ope multae celluloſae ſubtilioris adhaeret; exterior vero, vti omnibus aliis C. H. tunicis per pinguedinem decurrentibus contingit, multa celluloſitate cingitur, eo ſtipatiori, quo neruo eſt propior, qua neruuli & arteriae ciliares in ſitu rite firmantur. Illa autem celluloſa cum neruo ad bulbum allata, ſuper illum quaqua verſum expanditur, & cum vaginis celluloſis muſculorum, inprimis obliqui vtriusque, confuſa adſcititiam quandam bulbo praebet tunicam, poſterius circa

(*c*) *De vſu part. L.* X. *c.* 2.
(*d*) *Diſſ. de tunica choroid.* §. 2.
(*e*) *Diſſ. de cornea.* §. III.
(*f*) *De perſpir. Hippocr.* §. 56.
(*g*) *De oculo* § 31.
(*h*) *Phyſiol. T.* II. §. 727.
(*i*) *Obſeru. de retin.* §. VI.
(*k*) *Expoſ. anat. de la tete* §. 225.
(*l*) *Anat. d'Heiſter. p.* 691.
(*m*) v. g. LVDWIG. *Inſtit. Phyſiol.* §. 515. *p.* 199.
(*n*) *Epiſt.* XVI. *f.* 4. *expl.*

ca inſertionem nerui optici vaſculorumque ciliarium denſiorem & fortiorem, iuncta autem cum vaginis membraneis muſculorum rectorum in illam celluloſam, laxam, inflabilem continuatur, quae coniunctiuam a palpebris deſcendentem cum ſclerotica iungit, multisque vitiis oculi ſedem praebet.

Plurimi quidem Auctores WINSLOWVS, KAVWIVS aliique ALBINI diſcipuli antea dicti, ipſum inuolucrum nerui optici a dura matre datum in illam tunicam acceſſoriam abire; & ſcleroticae, membranae oculi propriae, obduci perhibent. Obſeruationes autem meae ſaepiſſime iteratae ſatis ſuperque mihi perſuadent, ipſam veram vaginam nerui optici a dura matre natam, integram poſtremae ſcleroticae inſeri, & illi firmiſſimo nexu iungi.

§. VI.

Noſtrae obſeruationes circa originem ſcleroticae.

Remota enim celluloſa illa laxiori, neruum ambiente, & vaſculis neruulisque circa ingreſſum nerui optici in illa ludentibus, manifeſto ſemper vidi, exteriorem vaginae neruii laminam, priusquam ipſum bulbum attingit, colligi in multas fibras, ſolidas, ſplendentes, firmulas, quae limiti poſteriori, craſſiori, prominulo ſcleroticae, vbi neruus per illius craſſitiem penetrat, eodem modo, vt alibi in corpore humano ligamenta, inſeruntur. Lamina autem interior, craſſior exteriori, inter ſcleroticam & neruum amplius progreditur, vtrique multa celluloſitate annexa, donec ad intimam ſcleroticae partem, in celluloſam reſoluta euaneſcat.

Nec limites inter vaginam nerui optici & originem ſcleroticae ita ſunt obſcuri, vt dubitationi locum relinquere poſſe videantur. Sclerotica enim in fundo craſſior, non ex mutata & ſenſim incraſſata dura matre naſcitur, ſed leuiter prominulo, rotundo, neruum verſus conuexo, ad minimum

mum octies craſſiori inuolucro nerui, circa eius inſertionem oritur, neruo, quem, vti annulus digitum, arcte amplectitur, ſic adaptata, vt ea ratione, qua neruus ad retinam properans contrahitur, contractior quoque appareat, & hanc ob cauſſam poſterius multo maiori foramine pertuſa neruo circumponatur, eo ſemper minori, quo neruus ad intimam oculi cauitatem penetrans in minorem diametrum conſtringitur. Praeterea ſclerotica nunc naſcitura facillime ſe prodit colore ſuo albo, & fabrica denſa, ſtipata, fortiori, cuius fila vario modo ſibi ſunt intertexta, quibus notis ab inuolucro nerui tenui, laxiori, & leui maceratione in celluloſam diffluentem facillime redigendo, optime diſtinguitur, quae ipſa vtriusque partis fabrica diuerſiſſima WINSLOWVM & SENNACVM aliosque permouit, vt circa ortum ſcleroticae a dura matre nerui optici dubitarent. (o)

§. VII.

Quomodo pia mater nerui optici in laminam internam ſcleroticae abeat.

Ad hanc autem veram ſcleroticam, circa ingreſſum nervi optici demum natam, eiusque inuolucro iunctam, accedit, tunica quaedam alia, piae matri, quae ſubſtantiae nervi optici fuerat circumdata, ad oculum continua, veteribus plane incognita. Ipſa enim pia mater, vbi neruum opticum ad ſummam ſui contractionem, &, perforata lamina cribroſa, ſphaericam nunc futuram expanſionem comitata fuerat, ſubito, facto prius circulo quodam craſſiori, & in oculi cavitatem aliquantum prominulo, in omni nerui ambitu circumcirca reflectitur, & ad ſcleroticam vicinam accedit, cuius faciei internae ita ſeſe applicat, vt intimam illius tunicae laminam conſtituat. Paulo ſolidior & firmior nunc facta intra

(o) Conf. *Comment. R. Soc. Sc. Gotting. T.* III. *p.* 118.

intra ſcleroticam concentrica inde ad corneam vsque expanditur, aequali vbique craſſitie mihi viſa, intus vbi choroidem attingit, ſatis fuſca, cum qua & vaſculis multis & celluloſa aliqua tela, cum vaſculis huc allata, coniungitur; ſcleroticae autem ipſi, cum qua in vnam eandemque tunicam abit, multis fibris transuerſis arctiſſimo nexu iuncta & agglutinata, vt, maceratione vel longiſſime protracta, nunquam ſponte ab illa ſecedat, cultro autem anatomico, ſuſpenſa manu ſummaque diligentia adhibita, vix, niſi difficillime, a ſclerotica vera, integra & ſine laeſione in adulto poſſit ſeparari. In fetu autem, cuius partes omnes laxius inter ſe cohaerent, tunica illa adſciticia laxiori etiam vinculo ſcleroticae iungitur, vt, vulnere per ſcleroticam inflicto, facili negotio, vel ipſo manubrio ſcalpelli, integra ab ipſo ortu ex inuolucro nerui optici ad corneam usque poſſit ſeparari, vt eodem certe iure ac Ruyſchiana inter proprias oculi tunicas referri poſſe videatur. Inuentum fabricae huius elegantis vnice debetur NICOLAO le CAT, (*p*) etſi deſcriptio, quam de hac tunica dedit, multum ſane a noſtris obſeruationibus diſcrepat. Ille enim piam matrem, poſt ſummam nerui optici contractionem, in duas diuidi laminas affirmat, quarum altera in choroidem ipſam abeat, altera autem vera & ſolida faciei internae ſcleroticae ſeſe applicet, illamque intus obliniat, quam huius nouae tunicae cum pia matre continuationem, & ad corneam fere vsque expanſionem coram Academia Regia Scient. Pariſ. publice ſe exhibuiſſe asſerit. Poſt illum mentionem quoque, paucis licet verbis, diſerte tamen, illius fecit Ill. de HALLER, (*q*) qui *pia matre in neruo optico diſtincta, fuſca tota & tenui, ſcleroticam intus oblíniri* tradidit. Num VALSALVA forte iam ſimile quid

(*p*) *Tr. des Sens. p.* 153.

(*q*) *Prim. lin. Phyſ.* §. DIV. Eandem iam deſcripſi & delineandum curaui. *Comm. R. Soc. Sc. Gotting. T.* III. *commentat. de tunicis & muſculis oculorum.* §. V.

quid vidit, vbi *ſcleroticam non ex dura matre, ſed ex pia meninge, tendinibusque muſculorum oriri*, ſcripſit? (*r*)

§. VIII.

Num tendineae expanſiones muſculorum propriam tunicam, albugineam dictam, conſtituant.

Sclerotica ergo illa opaca, ex duabus lamellis inter ſe concretis, compoſita, ad corneam ſenſim accedit, & anterius in omni ambitu corneae, ſplendido candore per tenuiſſimam coniunctiuam, a palpebris demiſſam, pellucet, vbi plurimi autem Anatomici praeter coniunctiuam aliam propriam membranam ſcleroticae adnaſci credunt, cui candorem illum tribuunt, quam ſub nomine tunicae albugineae & innominatae COLVMBI venditare ſolent; quo in loco opportune mihi viſum fuit, exponere, quae circa tunicam illam albugineam ſic dictam obſeruationes meae me docuerunt.

GALENVS (*s*) iam pridem diſerte docuerat, *tendines quatuor muſculorum rectorum ad anteriora oculi in vnum circulum lati tendinis conuenire, & propriam ibi membranam conſtituere*, poſt quem etiam CAROLVS STEPHANVS, (*t*) eandem ab aponeuroſibus muſculorum natam tunicam iam olim commemorauit, vt ſane COLVMBVS, (*u*) qui ipſam illam tunicam tanquam hactenus incognitam propoſuit, multumque in eiusmodi membrana inuentionis laudem quaeſiuit, eo maiori iure cenſuram CASSERII, (*x*) RIOLANI, (*y*) aliorumque meruerit. Ab ipſo tamen illo COLVMBO, plurimi Anatomicorum tunicam illam, ab expanſione tendinum natam, tanquam rem nulli dubitationi obnoxiam,

(*r*) *Diſſ.* II. §. 3.
(*s*) *De vſu part. l.* X. *c.* 2. & 8.
(*t*) *de diſſect. part.* C. H. *l.* 3, *c.* XI.
(*u*) *De re anat.* l. X.
(*x*) *Pentaiſth. l.* 5. *Sect.* I. *c.* 8.
(*y*) *Anthropogr. l.* 4. *c.* 4.

noxiam, receperunt, inter quos SPIGELIVM, (z) VESLINGIVM, (a) qui vel iconem huius tunicae exhibere voluit, MARCHETTVM, (b) PLEMPIVM, (c) DIEMERBROECKIVM, (d) WILLISIVM, (e) TAVVRY, (f) ex veteribus commemorare ſufficiat; inter recentiores autem neque RVYSCHIVS (g) ab illorum ſententia plane abhorret, ſed & ipſe WINSLOWVS, (h) eandem tunicam, expanſione tendinum factam, ſub nomine tunicae albugineae propoſuit, quem pro more plurimi Galli (i) ſunt ſecuti, etſi SENNACVS, (k) & LIEVTAVD, (l) hac de re dubitare videantur. MORGAGNIVS, (m) nonniſi timidus hac de re loquitur, qui *tendines circa corneam in vnum quidem iungi & ſeſe contingere, multo tamen propius, ac plerique putent*, affirmat. (n) E contrario autem olim iam CASSERIVS (o), eiusmodi continuam veram tunicam ab expanſione tendinum formatam negauit, qua in re STENONIVM, (p) CHARRIERE, (q) VALSALVAM (r) & ALBINI inprimis diſcipulos, (s) ſibi conſentientes habet, qui tunicam illam ex tendinibus muſculorum compoſitam, nullam eſſe, & quae Stenonis ſunt verba, *praeparationi tantum deberi*, aſſerunt, quibus aſſentiri, obſeruationibus meis ductus, non dubito. Tendines illorum muſculorum ſinguli, etſi ad inſer-

(z) *Anat. C. H. L.* X. *p.* 326.
(a) *Synt. Anat. C.* XV.
(b) *Anat. p.* 214.
(c) *Opthalmogr. C.* VIII.
(d) *L.* III. *c.* XIV.
(e) *De anima brutorum C.* XV. *p.* 126.
(f) *Anat. raiſonn. p.* 324.
(g) *Epiſt. Probl.* XIII. *p* 10.
(h) *Expoſ. anat. de la tete.* §. 240.
(i) v. g. PETIT. *Anat. Chirurg. Palfyn. T.* II. *p.* 419.
(k) *Anat. d' Heiſter. p.* 690.
(l) *Eſſ. Anat p.* 127.
(m) *Epiſt. anat.* XVI. §. 25.
(n) Defenſoribus huius tunicae praeterea ſunt accenſendi PLATNER *Inſtit. Chir.* §. 275. & PORTERFIELDS. *Med. Eſſ. Vol.* III. *p.* 167. & multi alii.
(o) *Loc. cit. c.* 22.
(p) *Diſſ. cap. carch. p.* 103.
(q) *Anat. de la tete p.* 270.
(r) *Diſſ.* II. *n.* 3.
(s) v. g. LOBÉ *de oculo humano.* §. 74.

inſertionem latiores euadant, diſtincti tamen ſemper manent, &, vbi immiſſis in ſcleroticam fibris, illi tam intime iam affiguntur, vt ſine manifeſta laceratione vlterius diuidi non poſſint, ſatis magno inter ſe diſtant interuallo, nec vllibi ſeſe contingunt, vt, nunquam in vnum iungi, aut propriam tunicam continuam conſtituere poſſe, affirmari poſſit. Sed, etſi haec omnia, aliter ac diximus, ſeſe haberent, ſplendidus tamen ille candor, quo corneam cingi videmus, eiusmodi expanſioni tendinum tribui vix poſſe videtur, vti plurimi illorum, modo dicti, qui albugineam tendinibus muſculorum factam eſſe docent, tradiderunt. Candor enim ille multo maius comprehendit ſpatium, ac ab ea expanſione poteſt ſperari, &, ſi oculum verſus alterutrum canthum dirigas, tanto a cornea interuallo iam apparet, vbi nulla plane valet ſuſpicio, tendines in vnum iam confluxiſſe circulum, quod argumentum inprimis vrget MORGAGNIVS. (*t*) Nec meliora docere videntur, qui poſt GALENVM (*u*) cum CASSERIO (*x*) RIOLANO, (*y*) DIONIS, (*z*) CHARRIERE (*a*) & aliis ſedem illius candoris in ipſa coniunctiua aut adnata ponunt; cum ipſa illa propago ſit tenuiſſimae & pellucidiſſimae membranae, palpebrarum internam faciem obtegentis, & candor ille ſemper adhuc ſuperſit, ſi coniunctiua vbique iam fuerit ablata. Etſi autem opinio illa de ſede candoris oculi ab omnibus reliquis ita fuerit excepta, vt neminem fere deprehendere liceat, qui album aut innominatae, aut coniunctiuae, aut vtrique ſimul non tribuat; vnum tamen inueni, qui a communi ſententia diſcedere non dubitauerit: Is eſt Cl. LIEVTAVD, (*b*) qui per albugineam, quam continuationem celluloſae vaginae muſculorum dicit, ſcleroticam albam pellucere aſſerit, vt

(*t*) *Epiſt. anat.* XVI. §.
(*u*) *De vſu part.* L. X. *c.* XI.
(*x*) *Pentaiſth. de oculo. c.* XXI.
(*y*) *Anthrop. p.* 415.
(*z*) *Anat. C. H. demonſtr.* VIII. p. 376.
(*a*) *Anat. de la tete p.* 324.
(*b*) *Eſſ. Anat. p.* 127.

vt nulla alia ſit albuginea ab expanſione tendinea nata, nec eſt, cur ipſe dubitem illius ſententiam amplecti. Mirari autem interdum ſubiit, cur alii candorem illum ſcleroticae denegare voluerint, quae, celluloſa oculum ambiente ablata, vbique candidiſſimo & ſplendido illo colore ornata apparet, & per coniunctiuam tenuiſſimam optime hic pellucet. Vaſcula autem, quae in albo oculi ſic dicto ſaepiſſime ludunt, & paululum inflammata multum de illa pulchritudine detrahunt, qua oculi ſaniſſimi, in quibus iris verſicolor puriſſimo candore cingitur, omnibus ſe commendant, non omnia ad coniunctiuam, vti vulgo quidem traditur, attinent, ſed, duplicis ibi ſunt generis, quod inprimis in aqua ſubmerſis aut alio modo ſuffocatis, experientia optime me docuit. Vaſcula enim ipſa coniunctiuae in eiusmodi hominibus plurima quidem vidi, ſed tenuiſſima, & itinere parallelo ad corneam delata, & rarius ramis lateralibus inter ſe iuncta, quae vna cum coniunctiua volſella arrepta attolli, variasque in partes moueri poſſunt. Alia autem maiora, eaque inprimis conſpicua pone coniunctiuam in ipſa ſclerotica decurrunt, vaſcula nempe ciliaria anteriora, tum arterioſa tum venoſa, plurimis arcubus more fere vaſorum meſentericorum inter ſe iuncta, quae ſcleroticam ibi perforant, & longe interdum ipſam radicem corneae legunt, & ad credendum fere adducor, omnem fere opthalmiam inprimis grauiorem non adeo vaſculis coniunctiuae, ſed potius inflammatis vaſculis ſcleroticae deberi.

§. IX.

Connexio ſcleroticae cum cornea.

Quae autem ad ipſam vsque corneae originem attenuabatur ſclerotica, ad ipſum ambitum iterum paululum incraſſari mihi viſa eſt, vbi fibrae illius in corneam abire incipiunt. Eſt autem cornea pars ſcleroticae quidem continua, ſed magis conuexa & pellucida. De origine & connexione autem

autem corneae non parum inter Anatomicos fuit diſputatum. Etſi enim plurimi Anatomici in eo conſenſerunt, vt cum CELSO (*c*) & GALENO (*d*) docerent, ipſam ſcleroticam in corneam abire, illique ſic continuari, vt cornea pro ſcleroticae parte, & vtraque pro vna eademque ſit habenda tunica, quod inprimis Gallis (*e*) placere videtur, qui & ſcleroticam & corneam eodem nomine inſignire ſolent, aliam corneam opacam, aliam pellucidam appellantes; iam olim tamen FALLOPIVS (*f*) illam continuationem in dubium vocauit, affirmans, *ſe ſibi perſuadere non poſſe, corneam eſſe tunicae durioris partem, quae a dura cerebri meninge erigitur, cum non ſolum ſubſtantia, ſed & craſſitie & figura differat, & per ſe ſola quaſi ſphaericam aliam cauitatem conſtituens extra ſuperficiem durae erigatur, nouumque veluti tuberculum efficiat*; quam etiam opinionem inter recentiores BRISSAEV, (*g*) & MAVCHARTVS (*h*) ſunt amplexi, quorum vterque vrget, corneam a ſclerotica eſſe partem plane diſtinctam & diuerſiſſimam, neque eiusdem ſubſtantiae continuum efficere, arctiſſime licet illi nexam; cum interea omnes reliqui receptae doctrinae fauere videantur. Nec ipſae meae obſeruationes a veterum ſententia recedere me ſinunt. Origo enim corneae pellucidae non ita definita eſt, vt locus, vbi cornea incipiat, poſſit accurate determinari. Sed limites inter ſe confluunt & fibrae ſcleroticae albae, opacae, corneae nunc proximae, paulatim & ſenſim in pellucidam corneam tranſeunt. Si ergo argumentum inuertere liceat, incerti eiusmodi limites corneae & ſcleroticae eadem ratione euincere poterunt, alteram in alteram abire, & vtramque eiusdem eſſe ſubſtantiae continuum;

(*c*) *l. c.*
(*d*) *De vſ. part. l.* x. *c.* 3.
(*e*) Vide WINSLOW. SENNAC. PETIT *loc. cit.*
(*f*) *Obſeru. anat.* 265. a.
(*g*) *Tr. de la catar. p.* 9.
(*h*) *De tunica cornea.* §. 3.

nuum; ac certa & definita origo ſcleroticae, limbo prominulo, limitato, oriundae, argumentum nobis ſuggeſſit, ſcleroticam a dura matre non oriri, ſed eſſe tunicam oculi peculiarem. Ipſam illam originem corneae ex ſclerotica recentiores, & inprimis Galli accuratius ſunt rimati. PARISINI (*i*) enim in diſſectione Lupi Ceruarii iam obſeruarunt, corneam & ſcleroticam ſic inter ſe iungi, vt & in fine altero attenuatae & ſibi inuicem ad duas lineas applicatae craſſitiem tamen iunctae non augeant, quam obliquam vtriusque partis connexionem BRISSAEVS quoque confirmauit, & MAVCHARTVS (*k*) affirmat, ſe a BRISSAEO nondum admonitum, ſingularem illum mechanismum Auditoribus demonſtraſſe; & MORGAGNIVS, (*l*) priusquam de illa connexione ex Commentariis Regiae Academiae Pariſinae quidquam intellexiſſet, eundem obſeruaſſe ſe affirmat. PETITVS (*m*) autem ſubtilius & accuratius adhuc coniunctionem illam ſcleroticae cum cornea deſcriptione & figuris expreſſit; illamque duobus inprimis modis fieri obſeruauit, altero, quo cornea in cuneum producta, a ſclerotica inciſa, ſibique adaptata, recipitur; altero, quo obliqua adfixione duae illae partes ſunt inter ſe iunctae, quod iterum triplici contingit ratione; Aut enim linea coniunctionis, quae ab extremo corneae deſcendit, cum chorda corneae angulum obliquum, aut rectum, aut acutum intercipit. Primum coniunctionis modum, quem PETITVS in homine rariſſimum eſſe aſſerit, quo cornea in cuneum producta a ſclerotica adaptata recipitur, frequentius, ac vulgo putant, inprimis in oculis infantum, obſervaui, vt ſclerotica exterius & interius longius procurrat, & in parte intermedia citius in corneam degeneret, quo bifurcato fine cornea in cuneum producta excipitur. Connexio autem, quam frequentiſſimam vidi, ita ſeſe habet, vt fibrae

(*i*) *Memoir. diſſ. des anim.*, p. 128.
(*k*) Vid. *loc. cit.* CASSEBOHM eandem deſcribit. *Meth. ſec. p.* 318.
(*l*) *Epiſt. anat.* XVII. §. 10.
(*m*) *M. A. R. Sc.* 1728.

brae ſcleroticae, quo ſunt interiores, eo citius in corneam pellucidam degenerent, & ita corneam exterius anguſtiorem reddant, quae ipſa tamen non ita accurate contingit, quin interdum particula alba ſcleroticae longius in corneae ſubſtantiam immittatur, & vtriusque partis fibrae ſe excipientes eandem fere figuram exprimant, qua pictores vſi flammam ignis delineare ſolent. Quae quum ita ſint, illis adſtipulari non dubito, qui corneam ſcleroticae continuationem eſſe credunt. MORGAGNIVS (*n*) praeterea *tendines muſculorum*, ad ſcleroticae compoſitionem conuenire credidit, qui & in piſce tendinem in membranam mutatum a cornea auulſit, & BRIGGSIO (*o*) cornea nihil aliud eſſe videbatur niſi *fibrae motrices e ſclerotica tranſeuntes*. Sed hanc opinionem non neceſſe erit refutare, qui ſuperius iam docuimus, tendines neque in continuam tunicam expandi, neque ad corneam pertingere,

§. X.

Fabrica corneae.

Conſtat autem cornea eodem modo ac ſclerotica plurimis laminis, ſed euidentius diſtinctis, quae in plures diuidi poſſunt lamellas, illisque interiecta ſubſtantia celluloſa, cuius areolae aqua pellucidiſſima ſemper ſunt ebriae. Fabricam illam lamellatam optime notam iam habuerunt veteres, vti RVFFVS EPHESIVS, (*p*) AVICENNA, (*q*) THEOPHILVS, (*r*) & VESALIVS (*s*) qui multis lami-

(*n*) *Epiſt.* XVI. §. 26.
(*o*) *Opthalmogr. c.* 3.
(*p*) *De appellat. part.* C. H. *L.* II. *c.* 3.
(*q*) *Canon. L.* 3. *Fen.* 3. *tr.* 1. *c.* 1.
(*r*) *De corp. hum. fabr. l.* 4. *c.* 19.
(*s*) *De corp. hum. fabr. L.* VI. *c.* XIV. *p.* 805.

laminis illam compoſitam eſſe docuerunt, quam fabricam lamellatam FABRICIVS, (t) CASSERIVS, (u) PLEMPIVS (x) aliique fere omnes ab illis receperunt; induſtria autem recentiorum illam in multo plures diuidi poſſe lamellas nos docuit. Quam animaduerſionem nonnulla confirmarunt vitia corneae, vti ambuſtiones & abſceſſus, quibus factum eſt, vt cornea ſenſim in plures lamellas fuerit ſeparata. (y) Laminis illis interiecta eſt cellulosa quaedam ſubtiliſſima, qua arctiſſime ita inter ſe vniuntur, vt extima tamen lamella facilius ſcalpello ſeparari queat, interiores autem arctius inter ſe cohaereant, in cuius areolas aqua pellucidiſſima in homine integro effunditur, omnibus fere praeteruiſa, quae a VALSALVA (z) nomine *ſubſtantiae ſpongioſae* propoſita eſſe videtur, a qua ipſa cellulosa, aqua ebria, pelluciditatem corneae vnice pendere fere crediderim. Dum enim areolae illius aqua turgent, cornea pellucidiſſima deprehenditur, interſtitiis eius fluido homogeneo repletis, & opaca redditur in mortuis, ſi aqua difflata in auras, lamellae illae arctius ſibi incumbentes lumini viam praecluſerint, vti humor vitreus, ſubtiliſſima cellulosa compoſitus pelluciditate integerrima, dum aqua turget, ſe commendat, qui exſiccatus in pelliculam opacam tranſit. Areolae illae celluloſae omnes apertae ſunt, & per lamellarum poros ita inter ſe conſentiunt, vt aquam facillime exſudent, & auide iterum bibant, experimento nunc notiſſimo, quo conſtat, ad ſingulas compreſſiones, ſaepius licet iteratas, corneae faciem madore quodam, quaſi opaco velo, obduci, qui in guttulas demum confluit, (a) vti poſt PETITVM nemo facile negabit, corneam ſic compreſſam, aqua facillime iterum turgere,

(t) *De oculo P.* I. *c.* 2.

(u) *Pentaiſth. L.* 5. *ſect.* I. *c.* 23.

(x) *Cap.* IX.

(y) Vid. CASSEBOHM. *Meth. ſec. p.* 318.

(z) *Epiſt.* XVI. §. 30.

(a) STENO primum illud animaduertit, quod omnes qui ſecuti ſunt, confirmarunt, *de muſc. & gland. p.* 48.

re, cui immiſſa fuerit. Ros ille humidus ad ſingulas compreſſiones rediens tam in interna, quam in externa facie corneae apparet. SENNACVS quidem credit, humorem illum potius ſub adnata, corneae impoſita, extitiſſe; cui opinioni guttulae in interna corneae compreſſae facie plane repugnant, nec hanc ob cauſſam poros rectos fingere oportet, qui humorem ex camera humoris aquei transmitterent, vti Cel. MAVCHARTO placuit. Humor enim ille, quem cornea, oculum integrum comprimendo, exſudat, eodem modo ex illa, a bulbo oculi iam ablata, exprimi poteſt, & ſaepius abſterſus, a compresſione ſemper tamen redit, donec omnis aqua, cellulis illis contenta, elicita fuerit; vt taceam, corneae illud eſſe commune cum plurimis aliis corporis humani partibus, quae compreſſae, laticem aqueum in omni ſuperficie effundunt, quo phaenomeno ad credendum fere adducor, aquam illam potius ex vltimis arteriolarum extremitatibus in celluloſam illam deponi, quam ex humore aqueo prouenire. Praeterea celluloſam illam corneae laminis interpoſitam multi certe probant morbi, qui oriuntur, ſi particulae alienae intra ſubſtantiam illam celluloſam intruſae & aceruatae fuerint, quod in vngue oculi, vbi pus inter lamellas corneae colligitur, & aliis oculorum vitiis contingit. (*b*) Sic ipſe interdum in cornea mortuorum punctula alba, intra ſubſtantiam corneae latentia, arenularum inſtar obſeruavi; etſi adeo felicem mihi eſſe non contigerit, vt, quonam vitio oculi homines illi laborauerint, accipere liceret. Celluloſa autem ſtructura ad res haſce intelligendas commodisſima eſt, & maxima apta, ad eiusmodi particulas continendas.

§. XI.

Craſſities corneae.

Celluloſae illi fabricae diuerſa etiam craſſities corneae deberi mihi videtur. Semper autem cornea, eodem modo, vti

(*b*) Vid. MAVCHART *de vngue oculi.* PLATNER. *Inſtit. Chirurg.* §. 310.

vti MORGAGNIO, (*c*) ſcleroticae parte anteriori craſſior mihi inuenta eſt, etſi non ſatis certe videre me memini, corneam in medio, quam ad ambitum eſſe craſſiorem, quae, ni plane fallor, vbique eundem craſſitudinis modum ſeruare mihi viſa eſt, ſi illud craſſitiei incrementum, quod ab adnata in ambitu prouenit, non attendas, qua craſſitudine multum decreſcit, ſi poſt mortem magna aquae pars fuerit exhalata. In foetu tamen multo adhuc craſſior, ac in adulto, deprehenditur, roſeo colore, vti humor vitreus & ipſe neruus opticus, egregie tincta, ſed minus conuexa, minusque pellucida, & celluloſa, laminis laxius inter ſe connexis, interpoſita, aqua turgidiſſima & vltra lineam craſſa mihi viſa fuit, vt cameram anteriorem humoris aquei anguſtiſſimam redderet, & iridem fere contingeret, ſcleroticae tenuiſſimae annexa; ad dimidiam tamen illius craſſitudinis partem facile redigi potuit, poſtquam repetitis vicibus digitis compreſſa, & ros exſudans abſterſus fuerat. Atque haec omnia iam adnotata habebam, poſtquam in Commentariis Regiae ſcientiarum Acad. Pariſ. legi, PETITVM (*d*) inprimis parciſſimae copiae humoris aquei, & craſſitiei corneae tribuere, quod infantes recens nati obſcure & minus accurate videant; qui ſenſim diſtinctius videre incipiunt, ſi, quantum amplitudine camera humoris aquei augetur, tantum craſſities corneae decreſcat; ad quam lippitudinem infantum roſeum colorem humoris vitrei, & ipſius lentis, & corneae laxitatem non parum facere arbitror.

§. XII.

Conuexitas & figura corneae, in facie externa & interna.

Conuexitas corneae demum maior eſt, quam ſcleroticae, quod olim iam vidit FALLOPIVS (*e*) & FABRICIVS; (*f*) quae

(*c*) *Epiſt.* XVI. §. 39.
(*d*) *M. A. R.* 1727. p. 246.
(*e*) Vid. *l. ſupr. cit.*
(*f*) FABRIC. *de oculo* III. *c.* 2.

quae humore aqueo & aqua inter laminas latente in viuo diſtenta, in rugas demum collabitur, aqueo illo humore educto. PETITVS (*g*) accuratius illam conuexitatem definiuit, & arcum ſphaerae eſſe dixit, cuius diameter ſeptem circiter linearum eſt, aliquando 7. & dimidiae, rarius vltra citraque illam menſuram diameter conſiſtit. Figura corneae in facie interiori aliter ſeſe habet, ac in facie exteriori. (*h*) Intrinſecus enim circulum ſemper repraeſentat, cuius ambitum ſulcus quidam definit, vt accurate limitem inter corneam & ſcleroticam intrinſecus ponat, cui ſulco, nigro colore a proxima ſcleroticae parte diſtincto, iridis lamella anterior accreſcit, vbi lamina interior ſcleroticae, piae matris nerui optici propago, deſinere videtur. Num idem vidit MORGAGNIVS, (*i*) vbi aſſerit, *ad internum corneae ambitum ſcleroticam intus prominere, quod vel vnguis affrictus manifeſtat?* Praeterea facillime ex illis, quae ſuperius iam ſunt dicta, poteſt intelligi, cur ambitus corneae interior maior ſemper, quam externus deprehendatur. Opaca enim ſcleroticae ſubſtantia, pellucidae cornea ſubſtantiae ſic imponitur, vtraque vero ſenſim, quo magis progreditur, extenuata, ſic inter ſe committitur, vt quantum exterius ſclerotica excreſcens corneae anteponitur, tantum interius cornea producatur ad ſcleroticam occupandam. Extrinſecus autem cornea, vti ob allatas modo rationes minorem habet ambitum, ita ellipticam potius figuram obtinet, cuius ellipſeos maior axis a latere interno ad externum tendit, quod PETITVS (*k*) quidem primus deſcripſit, MORGAGNIVS (*l*) autem ſe illam ellipticam figuram tum in boue tum in homine viſam ſibi eſſe affirmat. Ill. HALLERVS (*m*) autem

(*g*) *M. Ac. R. Sc.* 1728.

(*h*) Vid. MORG. *Epiſt.* XVI. §. 28.

(*i*) *Epiſt.* XVII. §. 10.

(*k*) *M. A. R. la Par.* 1726.

(*l*) *Epiſt.* XVII. §. 10.

(*m*) *Prim. lin. Phyſiol.* §. DV.

tem non adeo exacte ellipticam, ſed ad naſum circularem ad tempora oualem ſcribit. Ellipticam illam figuram, (talem enim, etſi ab HALLERO non diſſentiam, dici poſſe crediderim,) MORGAGNIVS (n) ſcleroticae ipſi ſuper corneam productae, PETITVS autem & MAVCHARTVS vnice coniunctiuae & ſuperius & inferius ſuper corneam procurrenti tribuunt, vt tamen latiori zona a ſuperiori parte ſuper corneam excreſcat, vbi ſecundum menſuras PETITI ad lineam dimidiam, ad duas tertias lineae, quin ad lineam integram interdum corneae ſe imponit; ab inferiori autem ora ad dimidium anguſtiori, ac ſuperne, corneam protegat; qua remota cornea etiam ab exteriori facie circulum imitatur; quae eadem fere inueni. Si enim & viui hominis corneam accurate inſpiciam, lunula, quae & ſuperne & inferne corneam opaca albedine occupat, occurrit, ſed a parte ſuperiori multo maior; quam ad coniunctiuam potius quam ad ſcleroticam pertinere crediderim, quod cornea per illam tenuiſſimam pelluceat, &, ſi oculum oblique ſurſum verſus aſpiciamus, longius infra lunulam illam progredi facile videatur.

§. XIII.

Num coniunctiua & epidermis ſuper corneam producantur.

Ad ambitum corneae inter illam & ſcleroticam fini proximam celluloſitas maiori copia, ac in reliqua parte anteriori oculi congeſta eſſe mihi videtur, in qua & vaſcula ipſius coniunctiuae & propagines ciliarium anteriorum repunt, & in plurimos tenuiſſimos ſurculos, ad corneam abeuntes, diuiduntur. Ipſa autem coniunctiua non hic ſubſiſtit, ſed porro per corneam, ſed pellucidiſſima nunc facta

(n) *loc. cit.*

ſta producitur. Veterum quidem iam nonnulli poſt RVFFI (*o*) obſcura quaedam verba, *epidermidem corneae obduci*, tradiderunt; inter quos FABRICIVS (*p*) *corneae epidermidem reliquis tunicis longe tenuiorem obduci*, *quam ſerpentes quotannis deiiciant*, ſcribit & PLEMPIVS, (*q*) *tenuiſſimam corneae cuticulam reliquis ſubiectis corticibus eſſe impoſitam*, docet; non adeo tamen procliue eſt videre, num de ipſius coniunctiuae productione, an potius de tenui quadam corneae cuticula locuti fuerint; Recentiorum autem induſtria & morbi rem illam extra omnem dubitationem poſuerunt. Sic WINSLOWO, (*r*) CASSEBOHMIO, (*s*) HALLERO (*t*) AMMANNO, (*u*) MORGAGNIO, (*x*) & aliis contigit, vt adnatam vel ſolo cultro ab altero latere ad alterum aequabili diuiſione perducerent, quod & mihi quoque interdum, etſi rarius, ſucceſſit. Alii autem, vt ALBINVS ſecundum LOBÉ (*y*) & BONHOMME, (*z*) membranam corneae, coniunctiuae continuam, veſiculis elevatam viderunt, & BOERHAAVIVS (*a*) eodem tumore ſuper corneam ducto probare ſtudet, & adnatam eo ſe extendere. Sed ipſa illa coniunctiua corneae agglutinata obtegitur altera membranula tenuiſſima, verae epidermidis propagine, & per corneae faciem externam expanſa, quam Ill. HALLERVS habet, (*b*) PORTERFIELDS, (*c*) PLATNER (*d*) & qui phlyctaenas puſtulas eſſe definiunt, quae

(*o*) *De appellatione part. corp. hum. L.* I. *c.* 5.

(*p*) *De oculo P.* I. *c.* 2.

(*q*) *Ophthalmogr. c.* X.

(*r*) *Tr. de la tete.* §. 274.

(*s*) *Meth. ſec. p.* 306.

(*t*) *Comm. Boerh. T.* IV. §. DXVIII. n. d.

(*u*) *ibid.* §. DXXIX.

(*x*) *Epiſt. anat.* §. 28.

(*y*) *De oculo hum.* §. 31.

(*z*) *Cephalotom. p.* 128.

(*a*) *Prael. T.* IV. *p.* 198.

(*b*) *Prim. lin. Phyſ.* §. 496.

(*c*) *Med. Eſſ. Vol.* III. *Obſ.* XII. *p.* 161.

(*d*) *Inſt. Chirurg.* §. 310.

quae, leuata epidermide, corneae, & frequentius huius extremo, vbi adnata finitur, inſident. Quin pellicula illa, quae poſt mortem corneae obducta omnem illius ſplendorem obſcurat, nihil aliud, niſi ipſa continuatio epidermidis & forte etiam coniunctiuae mihi eſſe videtur. Cornea enim in omnibus oculis aliquot ante dies mortuis obducta reperitur, pellicula obſcura, opaca, vbique aeque craſſa, & rimas veluti agente, corneae ipſi firmiſſime agglutinata, vt nullo quidem modo aqua abſtergi, ſed ſcalpelli acie, ſuſpenſa manu, ſenſim poſſit abradi, qua remota cornea ipſa ſubiecta, ſplendida & laeuiſſima, &, licet non plane pellucida, multo tamen ac antea pellucidior, obſeruatur. Quam quidem membranulam opacam potius epidermidem & coniunctiuam morte obſcuratam eſſe crediderim, quam novam quandam pelliculam, ex concreto humore per corneam transſudante, & inſpiſſato ſmegmate glandularum ſebacearum, conflatam, quum vbique arctiſſime corneae verae ſit annexa.

Capvt. II.
DE
TVNICA CHORIOIDE
Sectio I.
DE
CHORIOIDE PROPRIE SIC DICTA.

§. I.
Denominatio chorioidis.

Secunda oculi tunica ſcleroticae ſubiecta dicitur chorioides, ſiue choroides, a ſimilitudine fabricae, quae inter hanc oculi tunicam & membranam foetum inuoluentem, Chorion vulgo dictam, intercedere veteribus viſa fuit, quod illa tunica oculi eodem modo, ac membrana fetum inuoluens, vnice fere ex venis & arteriis conflata ſit, &, vti membrana chorion vtero, ita illa plurimis vaſculis ſcleroticae adhaereat; (*a*) dicitur etiam Graecis ῥαγοειδὴς, ſiue tunica vuae acino ſimilis, aut vuea, quod inſtar acini vuae, illam in exteriori facie laevem, in interiori autem aſperiuſculam crediderint, quae quidem eſt opinio GALENI (*b*) circa etymologiam huius denominationis; vel quod eandem fere figuram habeat, ac vuae acinus, cui pedunculus avulſus fuerit, (*c*) eodemque nigro colore tincta deprehendatur. (*d*) Multi tamen iam inter veteres duas inter eas denominationes diſtinctio-

(*a*) Conf. GORRAEI *Definit. Med. p.* 513. CASSERII *Pentaiſth. de oculi fabrica. L.* V. *C.* XXV.

(*b*) *De vſu part. L.* X.

(*c*) Vid. RVFF. EPHES. *de appellat. part. C. H. L.* 2. *c.* 3. *L.* 1. *c.* 23. VESAL. *L.* VII. *C.* XIV. *p.* 803.

(*d*) Vid. THEOPH. *L.* 4. *c.* 19.

ſtinctionem fecerunt, vt partem poſteriorem ſcleroticae ſubiectam, choroidem; anteriorem vero pone corneam poſitam, vueam dicerent, (*e*) qui etiam mos inter recentiores pleroſque inualuit; etſi Galli inprimis noſtro aeuo vueae nomine partem poſteriorem huius tunicae inſignire adhuc ſoleant.

§. II.

Facies externa eiusque connexio ope celluloſitatis cum ſclerotica, facies interna omni nexu libera.

Choroides ergo illa tunica eſt mollis, tenerrima, &, quod ad primum ſtatim intuitum apparet, conflata ex innumeris vaſculis, quorum maiuſcula ſanguine ſemper plena deprehenduntur, (*f*) quae ab inſertione nerui optici ad originem corneae vsque concentrica intra ſcleroticam expanſa, faciem eius interiorem oblinit, cum qua & celluloſa tela & multis vaſculis coniungitur. Idem tamen hic, quod in omnibus reliquis partibus corporis humani contingit, vt nempe celluloſitas illa in infante, maiori copia, ac in adulto, huc congeſta, & laxior deprehendatur. Celluloſa illa tela vtramque membranam vbique arcte inter ſe coniungit, copioſior autem deprehenditur ſecundum ductum vaſculorum & neruulorum ciliarium, quos ſcleroticae annectit, in homine tenerrima, vt flatu inter vtramque tunicam immiſſo, facile choroides a ſclerotica ſecedat, & vnice vaſculis ſcleroticae adhaereat; in boue autem aliisque animalibus ſatis fortis & tenax eſt, & vinculum inter vtramque tunicam arctiſſimum conſtituit, vt, ſi ſcleroticam remouere velis, ſaepe facilius laminae chorioidis externae laciniae faciem illius interiorem ſequantur, aut chorioides plane rumpatur, quam

(*e*) Conf. CASSER. *loc. cit.*

(*f*) Eandem ob rationem iam olim VALLA choroidem ſanguinolentam dixit, vti CASSERIVS adnotauit. loc. cit.

quam vinculum illud ſolui poſſit. In eandem celluloſam in boue STAEHELINVS (g) pinguedinem effuſam vidit, quod etiam MORGAGNIVS (h) nonnullis in piſcibus obſeruavit. Quo propius autem chorioides ad originem iridis procedit, eo maiori copia faciem eius externam celluloſa illa obducit, & demum ſemper aucta album illum circulum, qui orbiculus ciliaris dicitur, efficit. Poſt mortem inter vtramque tunicam in hac celluloſitate colligitur humor aqueus, qui eo maiori ſemper deprehenditur copia, quo longius poſt mortem oculus euulſus & ſclerotica aperta fuerit, etſi in homine viuo interſtitium illud, quod fingi poteſt inter tunicam ſcleroticam & choroidem, plenum ſit, vt duae illae tunicae vbique ſibi contiguae ſint; quod quidem huic inter vtramque tunicam ſpatio imaginario commune eſt cum omnibus fere cauitatibus, vti dicuntur, corporis humani, vt ventriculis cerebri, ſpatio imaginario inter pleuram & pulmonem, & inter tunicam vaginalem & albugineam teſticuli & aliis, in quae ſpatia eodem modo in homine viuo & ſano vapor tantum halat, vt omnes illae partes arctiſſime inter ſe congruant, nullo interuallo vero intercedente, qui vapor naturalis aut ex morbo interdum aut poſt mortem in aquam cogitur. (i) Aquula illa in cadauere in illud ſpatium effuſa impoſuit olim RIOLANO, (k) qui illa obſeruatione ductus *humorem aqueum non tantum humori cryſtallino obductum, ſed & humori vitreo circumfuſum eſſe* credidit, quod ille accurate innuit, vbi alio loco (l) *humorem aqueum*

(g) *Theſes Anat. Bot. quae inſertae leguntur Diſſert. ab Ill.* HALLERO *collect. Vol.* VI.

(h) *Epiſt. anat.* XVI. §. 41.

(i) Vid. ILL. HALLERI *Prim. Lin. Phyſ.* §. 293. 362. 776.

(k) *Anthropol. L.* 4. *c.* 4.

(l) *Animadu. in Veslingium p.* 203. Huc autem non eſt referendus locus DIEMERBROECKII, *Anat. c.* XV. vbi, *laeſa parte poſtica bulbi humorem viſcidam erumpere*, aſſerit; ſtatim enim apparet, phaenomenon illud deberi humori vitreo, per vulnuſculum choroidis erumpenti.

um effluere, tradit, *ſi oculum parte poſtica, intacta choroide, ſecueris*, vt hanc ob cauſam iam olim PLEMPII (*m*) reprehenſionem incurreret. Quemadmodum autem choroides intra ſcleroticam concentrica expanditur, ita facies illius interna, laeuis, ab ingreſſu nerui optici ad originem corporis ciliaris vsque retinae ita incumbit, vt illi vbique contigua, neque vllo ſpatio diremta ſit, & duae illae tunicae in homine ſano exactiſſime vbique inter ſe congruant, quod quidem ſpatium imaginarium naturaliter vapor replet, qui impedit, quo minus duae illae tunicae inter ſe concreſcere poſſint; interdum autem ex vitio in aquam coactus repertus fuit, (*n*) quae maiori copia in illud ſpatium effuſa retinam vbique ſua ſede in medium compulſam in cylindri formam contraxit. (*o*) Nullibi autem altera tunica alteri adhaeret, neque celluloſitate quadam, neque vaſculis ab altera in alteram tranſeuntibus duae illae tunicae inter ſe cohaerent, & iterata experientia fretus cum Ill. HALLERO auſim affirmare, a facie interna choroidis ab ingreſſu nerui optici inde vsque ad coniunctionem proceſſuum ciliarium cum corona ſic dicta ciliari, ne vnicum quidem vaſculum in retinam

(*m*) *Ophthalmogr. C.* XVI.

(*n*) Num ſimile quid vidit VERLE, qui etiam inter retinam & choroidem humorem aqueum ponere videtur, vbi *puncta choroide*, *vel prope neruum opticum*, *humorem aqueum emanare* ſcribit. Vid. *Oculi artif. anat.*

(*o*) Vid. MORGAGN. epiſt. anat. XVIII. §. 138. Intra hoc quoque ſpatium ſedem habuiſſe videtur morbus ille mirus, quem Ill. HALLERVS in *Programm. de induratis corporis humani partibus*, *annexo diſſertationi Cel.* SPROEGELII, *ſiſtenti experimenta circa varia venena in viuis animalibus inſtituta*. §. VIII. graphice deſcripſit. Vbi choroidi ſuberat lamina lapidea, illi concentrica haemiſphaerico cauo ſimilis, quae perforabatur rotundo foramine, quo neruus opticus ſubit, intra quam caueam neruus quaſi, alba nempe cylindrus, ex foramine nerui optici orta, & corruptae lenti cryſtallinae adhaerens, repertus fuit, veſtigium forte compreſſae retinae & membranae humoris vitrei.

tinam tranſire, & crediderim, vaſcula illa ex choroide in retinam tranſeuntia, dicta FABRICIO AB AQVAPENDENTE, (p) WEPFERO (q) AMBROSIO BERTRAND, (r) ST. YVES (s) aut HOVIO, (t) & ANTON. MAITREIEAN. (u) ſi vere adeſſent, non adeo plane oculis meis ſubducere ſe potuiſſe, poſt iniectiones non infeliciter ope mercurii factas, quae circulos & arteriolas iridis fere microſcopicas in oculis animalium maiorum facile mihi detexerunt, cum tamen ne veſtigium quidem vaſculi in choroidis facie interna in retinam tranſeuntis vnquam mihi occurreret. Praeterea ipſa facies illa interna tapeto inferius deſcribendo, levi, vbique aequali, tecta, & pigmento nigro obducta contra ipſum illum tranſitum vaſculorum omnino pugnare videtur.

§. III.

Nigredo, qua vtraque facies choroidis tingitur.

Facies autem externa & interna choroidis in adulto ex rubro fuſca ſemper apparet. In oculo hominis adulti non ſolum fuſcitas illa totam faciem externam choroidis obtinet, ſed & ipſa ſcleroticae facies interna, quae choroidi incumbit, & celluloſa tela vtramque tunicam connectens, illa fuſcitate tincta deprehenditur, quae facies externa in fetu alba & fere rubella ſemper reperitur. (x) Sedes autem huius fuſcitatis

(p) *De oculo & viſ. L. I. c. 4.*

(q) *De cicuta aquatica p. 117.*

(r) *Diſſ. de oculo p. 60. n. 27. p. 61. n. 29.*

(s) *Tr. des maladies des yeux p. 26.*

(t) *T. III. fig. 6. T. IV. f. 4. 5. 6.*

(u) *Traité des maladies de l'oeil. p. 29.*

(x) Omnis choroides, abluto pigmento nigro in fetu & infante alba eſt, & ſane experientia pugnat contra TAYLORVM, qui *externam quoque faciem in infante fuſcam eſſe, & in ſenio ſenſim albeſcere* dicit. *Tr. de*

tis in facie externa ſita eſſe videtur in ipſa choroidis celluloſitate, neque materiae cuidam nigrae extrinſecus choroidi inſidenti, aut laminae eius externae ſubiectae, & per illam translucenti, tribui poſſe videtur. (*y*) In oculo enim recenti neque digitos, ſi externam faciem attingas, fere tingit, neque choroides aquam turbidam reddit; ſed & illa celluloſa choroidis, per plurimos dies in aqua maceratae, pertinaciſſime nigrum colorem conſeruat, etſi, ſi laminae exteriori foret ſubiecta, per lacerata choroidis loca nigra materia poſſet exire. Poſt aliquot autem dies, celluloſa illa tenuiſſima, putredine reſoluta, in minimos flocculos & pulviſculos nigros abit, quae aquulam, ex vapore coacto inter vtramque tunicam ortam, nigro colore tingit & turbidam reddit. Manifeſtiora omnia illa apparent in oculis animalium maiorum, in quibus tela celluloſa maiori copia inter ſcleroticam & choroidem deprehenditur, & fortioribus fibrillis facta vbique accurate illas coniungit; (*z*) quae tamen, licet choroides ad putredinem vsque macerata fuerit, a nigro colore in dilutiorem & magis albeſcentem nunquam mutatur. Ne autem mirum facile cuidam videatur, celluloſitati ipſi nigredinem illam tribui, plura habemus in corpore exempla telae celluloſae nigrae, vbi nulla valet ſuſpicio, nigredinem pigmento cuidam nigro, propriis glandulis ſecreto, deberi. Sic & in homine & in boue, & porco celluloſa, quae funiculos medullares nerui optici diſtinguit, & illa, quae glomerulos minimos glandularum conglobatarum

de mechaniſme de l'oeil p. 23. In omnibus autem animalibus quadrupedibus, & in auibus externa facies choroidis fuſca eſt, in piſcibus autem plurimis, e. g. in lucio piſce elegantiſſime colore argenteo fulget, & in rana anterius micis fere aureis conſperſa eſt. In perca marina huius faciei colorem argenteum iam adnotauit Ill. HEISTER *in diſſ. de choroidea* §. V. *not.* b.

(*y*) Conf. MORGAGN. *epiſt. anat.* XVII. §. 12.

(z) Vid. *ſermonem de differentia fabricae oculi humani, & brutorum in Comment. Soc. Reg. Sc. Gotting. T.* IV.

rum nectit, & in thorace & in inguine fuſca interdum in adultioribus mihi viſa fuit. Sed & reticulum Malpighianum nigrum quodammodo huc pertinet. (*a*)

Aliter autem ſeſe res habet in facie interna, cui inſternitur verum pigmentum nigrum, aut pullum, in infantibus craſſius, ſolidius, ſaturatius tinctum, & fere inſtar paſtae chorоidi obductum, prope ingreſſum autem nerui optici vix vllum, vbi circulus albus apparet, & anterius craſſius, quod in fetu, teſte VESLINGIO (*b*), iam adeſt, palpebris nondum formatis, &, vti DIEMERBROECKIVS (*c*) iam obſeruauit, per tenuiorem ſcleroticam ibi pellucet, cui inde color ex albo coeruleus conciliatur. PETITVS (*d*) cum MORGAGNIO (*e*) optime monet, *colorem illum nunquam eſſe prorſus nigrum, ſed potius ad eum, quem tabaci vocant, vergere.* Craſſities quoque huius pigmenti increſcente aetate ita ſenſim diminuitur, vt tranſpiciendo per humorem vitreum vaſa choroidis ſanguinea retro illud nunc aquoſius factum videri poſſint, quae in infantibus eo tanquam lamina nigra omnino tecta latebant (*f*). In omni autem aetate color ille in poſteriori parte

(*a*) Multa alia in oculis brutorum ſunt loca, praeter choroidem, vbi celluloſa nigra deprehenditur. In ſcleroticae externa facie oculi ſuilli in vtroque latere maculae duae nigrae apparent, cum ipſa ſclerotica ſubiecta candidiſſima ſit. Oculi ceruini coniunctiua circa corneam nigerrima quoque apparet. In oculo felino & caprillo linea nigra limites inter corneam & ſcleroticam ponere fere videtur. Vid. in *Comment. Soc. Reg. Sc. Gotting. loc. modo cit*

(*b*) *Syntagm. Anat. C.* XV.

(*c*) *Anat. C. H. L.* III. *C.* XVII.

(*d*) *Mem. Acad. R. Scient. Pariſ.* 1726. *p.* 79.

(*e*) *Vid. loc. modo cit.*

(*f*) In plurimis animalibus ex quadrupedum genere choroidis interna facies non vbique ſpadicea aut pigmento nigro obducta eſt, ſed magna ſaepe ex parte, inprimis prope ingreſſum nerui optici pulchris potius coloribus, argenteo, aut ad ſplendorem matris perlarum accedente, viridi, coeruleo, aut flauo fulget. In lucio piſce autem facies choroidis retinae obuerſa

 coeru-

parte choroidis, quae verae retinae incumbit, aquoſior eſt, minusque pertinaciter illi adhaeret, vt aqua calidiori facile, inprimis ſi vaſa cera fuerint repleta, abſtergi poſſit (*g*), ac in facie poſteriori vueae, & coronae ciliaris, vbi multo craſſius, ſolidius, magisque nigrum, ad paſtae naturam propius accedit. Vueae inprimis in adultis arctiſſime adhaeret, eiusque ſubſtantiae ita iungitur, vt in viuo homine, etſi iris aqueum humorem vbique contingat, in eoque tam crebro agitetur & moueatur, ipſum tamen colore non inficiat (*h*); ſed & in mortuo, vix, niſi choroide macerata, aqua plane detergi poſſit. In infantibus autem tota fere illa lamina nigra, quae vueam oblinit, taeniae nigrae inſtar, leui maceratione inde ſecedit, vt iris candida appareat. Corpori autem ciliari non aequali vbique modo illinitur, quum valleculis inter proceſſus ciliares intermediis arctiori vinculo ſit agglutinatum, & ſaturatiori ſolidiorique paſta illas obducat, apices autem prominentes liberas fere & nigredine puras relinquat, vt ſtriae illae candidae nigris valleculis alternis vicibus interpoſitae annulum eleganter ex albo & nigro varium efficiant, quod quidem pigmentum vix niſi difficillime ex illis valleculis abluitur, ſi oculus ex corpore hominis adulti euulſus fuerit. Semper tamen magna pars huius pigmenti fuſci, quod corpus ciliare obducit, humori vitreo agglutinata haeret, dum hic a corpore ſeiungi-

coerulea inſtratam ſibi habet paſtam fere nigram ſolidiuſculam, in laminae cohaerentis ſpeciem extenſam, cui paſtae demum pigmentum e rufo fuſcum, facillime ab aqua ſolubile, vbique illinitur. Conf. *Tom.* IV. *Comment. Soc. R. Sc. Gotting. obſeru. de differentia fabricae* &c.

(*g*) Vid. *Comment. Boerhaav. T.* IV. §. DXXII. *not.* e. Vix ergo video cur nonnulli ex antiquioribus, vti SPIGELIVS L. X. p. 326. PLEMPIVS *Ophthalmogr.* C. X. FABRIC. AB AQVAPENDENTE *de oculo* P. I. *c.* IV. *pigmentum nigrum faciei choroidis internae innatum & inſeparabile* dixerint.

(*h*) Idem iam adnotauit MORGAGN. *epiſt. anat.* XVII. §. 12.

iungitur, annulumque format, quo lens cryſtallina cum humore vitreo depoſita, circumcirca ornata apparet. In infantibus non raro contingit, vt omne pigmentum a corpore ciliari ſecedat, & proceſſuum ciliarium apices non ſolum, ſed etiam valleculas interpoſitas albas & puras relinquat, quod humori vitreo circa lentem agglutinatum radiati fere floris diſcum ex nigris petalis compoſitum egregie exhibet. (*i*)

Illud pigmentum, quo vueae facies poſterior, & corpus ciliare obducitur, nigri muci ex vltimis forte villis laminae internae ſecreti naturam referre fere videtur. A facie autem poſteriori iridis & corporis ciliaris oculi recentis & inprimis infantis laciniae ſaepe maiuſculae, choroide in aqua huc & illuc agitata, facile ſecedunt, quae in aqua fluitantes & membranae tenuioris inſtar inter ſe cohaerentes naturam peculiarem, & indolem ab omnibus reliquis ſuccis ſecretis diuerſiſſimam, facillime produnt. Aeque minus tamen ac in fuſcitate faciei exterioris ad glandulas proprias, quae illud pigmentum ſecernant, confugere neceſſe habemus, & certe glandulae CHIRACI (*k*), MERYI (*l*), BRISSEAV (*m*), & corpuſcula rotunda VALSALVAE (*n*), quibus ſecretionem illam peragi credebant, iam antea obſoluerunt (*o*), & ingenioſa magis quam vera ſunt, quae de huius pigmenti atri generatione recentiori tempore LE CAT (*p*) propo-

(*i*) Idem vidiſſe videtur CASSERIVS, vbi *Pentaiſth. de organo viſus T.* V. *f.* 7. & 9. corpus ciliare plane album & partem poſteriorem choroidis fuſcam fere pingit. Annulum nigrum in humore vitreo circa lentem relictum idem delineat. *T. cit. f.* 21. & 28. & RVYSCH. *Tab.* XVI. *f.* 1.

(*k*) WOOLHOVSE *in epiſt. Francof. ed. p.* 46.

(*l*) *Mem. Ac. R. Sc. Par.* 1707. *p.* 664.

(*m*) *De la cataracte p.* 12.

(*n*) MORGAGN. *epiſt. anat.* XVII. §. 4.

(*o*) Conf. *Comm. Boerh. T.* IV. §. DXXII. *not. e.*

(*p*) *Traité des Sens. p.* 159. Contra hunc iam dixit Cel. CAMPER. *in*

propoſuit. Omnibus autem probe expenſis, pigmentum illud nigrum ad naturam reticuli Malpighiani propius accedere mihi videtur, cum quo indole pulpoſa, ſemifluida, & quaſi ex muco concreta plane conuenit, &, vt illud rete, ex coacto aliquo humore fuſco de tapeto villoſo choroidis exhalante componi videtur (*q*), quae quidem ſententia ex inferius dicendis non parum confirmabitur.

§. IV.

Opiniones Auctorum circa originem choroidis.

Circa originem choroidis eadem fere valent, quae ſuperius de ſclerotica dicta ſunt. Omnes enim fere Anatomici, qui ſcleroticam durae matris propaginem eſſe prohibent, eodem modo choroidem a pia matre nerui optici prognatam & formatam eſſe docent (*r*), quae quidem ſententia, poſtquam RVYSCHIVS choroidem in duas diuidi poſſe laminas monuit, eo fuit aucta & ornata, vt ex arachnoide exteriorem laminam, choroidem proprie dictam, ex pia matre autem internam, quam RVYSCHIVS a ſuo nomine *Ruyſchianam* dixit, efformari plurimi crederent (*s*): nec multum abludunt, quae de huius tunicae ortu tradidit Cel. le CAT (*t*), qui piam matrem nerui optici ad originem retinae in duas laminas ſecedere ſcribit, quarum altera in choroidem, altera in laminam interiorem ſcleroticae acceſſoriam degenerare videatur. Etſi autem paulum differant, quae nonnulli ex antiquioribus de origine huius tunicae docuerunt,

in diſſert. de quibusdam oculi partibus cap. III. *quaeſt.* I. *quae inſerta legitur Volumini* IV. *Diſſert. Anat. ab* ILL. HALLERO *collect. p.* 291.

(*q*) Vid. §. Praeterea conf. verba de reticulo Malpighiano ILL. HALLERI §. 427. Cl. MOEHRING pigmentum illud iam cum rete Malpighiano comparat, & vaſculoſum eſſe credit *Diſſ. de viſu p.* 38.

(*r*) Vid. *ſup. de ſclerotica.* §. V.

(*s*) Coniecturam hanc iam propoſuit ILL. MORGAGNIVS. *epiſt.* XVII. §. 4.

(*t*) *Traité des Sens. p.* 153.

cuerunt, qui piae matris alteram laminam quidem in choroidem abire, alteram autem ad conſtituendam cum ſubſtantia medullari retinam inſeruire crediderunt (*u*); in eo tamen omnes conſentiunt, choroidem propaginem piae matris nerui optici videri. Quae quidem ſententia de continuatione piae matris in choroidem inprimis a MARIOTTI aſſeclis auide fuit arrepta, quorum nempe theoria, quae choroidem verum eſſe viſus organum docet, praecipuo illo fundamento ita ſubnititur, vt, illo ſublato, omnis illa hypotheſis ſponte corruere videatur. E contrario autem, quotquot fere ſcleroticam eſſe propriam oculi tunicam, nec ex dura matre natam, perhibent, eodem modo, choroidem eſſe tunicam peculiarem, & a pia matre nerui optici plane diſtinctam affirmant, quod inprimis ALBINVS eiusque diſcipuli, MOEHRING (*x*), APPEL (*y*), DE MAFFÉ (*z*), LOBÉ (*a*), MOELLER (*b*), HEVERMANN (*c*), & praeter illos HEISTER (*d*), WINSLOW (*e*), & qui illum ſequuntur, vti TAYLOR (*f*), & alii vrgent (*g*), quibuscum meae etiam obſeruationes conſentiunt.

§. V.

(*u*) Conf. loca, quae collegit MORGAGN. *epiſt. anat.* XVII. §. 34.

(*x*) *Diſſ. de viſu* §. 22.

(*y*) *De oculi humani fabrica.* §. VII.

(*z*) *De oculi conſtructione* §. VIII.

(*a*) *Diſſert. de oculo hum.* §. 38.

(*b*) *Obſeru. circa retinam.* §. VI.

(*c*) *Phyſiol. T.* II. §. 733.

(*d*) *Diſſ. de choroidea p.* 5.

(*e*) *Expoſ. anat. de la tete T.* IV. §. 225.

(*f*) *Tr. de l'anatomie du globe de l'oeil. p.* 26.

(*g*) Praeter Albinianos diſcipulos, aliosque modo laudatos pauciſſimos eſſe crediderim, qui choroidem piae matris nerui optici propaginem eſſe negare velint. VALSALVA, qui choroidem ab Arachnoide deducit, feſtinans ſcripſiſſe videtur, *diſſert.* II. *n.* 6. ab MORGAGNIO *ep.* XVI. §. 16. iam correctus.

§. V.

Connexio choroidis ope celluloſitatis cum pia matre nerui optici.

Tunicae choroidis facies exterior, quo propius ad ingreſſum nerui optici accedit, eo arctiori vinculo cum lamina interna ſcleroticae coniungitur, vbi, plurimae arteriolae ciliares poſteriores, & copioſior cum illis allata tela celluloſa vtriusque tunicae accuratiorem coniunctionem efficiunt. Vbi autem circa ipſam primam originem retinae pia mater in omni ambitu laminae cribroſae, per quam ſubſtantia medullaris tranſit, a neruo optico reflexa, circulo facto in oculi cauitatem aliquantum prominulo ad ſcleroticam accedit, vt intimam illius lamellam conſtituat, quam fabricam ſupra deſcripſimus (*h*); ibi choroides illi circulo piae matris arctiſſime adhaeret ope breuiſſimae & denſiſſimae celluloſitatis, & foramine circulari & margine integro papillam medullarem, vnde retina originem trahit, arcte ambit (*i*). Manifeſte illud apparet, ſi neruus opticus ad vsque inſertionem per longitudinem diſciſſus fuerit. Inter extremum enim illius finem, aut potius inter circulum, ad ſcleroticam acce-

(*h*) *De ſclerotica* §. VII.

(*i*) Plane ab obſeruationibus meis abludunt, quae LOBÉ *diſſ. cit.* §. 38. APPEL *loc. cit.* §. VII. MOEHRING. *loc. cit.* aliique Albiniani diſcipuli de origine choroidis tradunt, qui, *illam ex productis ſcleroticae vaſis ita oriri*, perhibent, *vt inter foraminulum, quo neruus in oculi cauitatem intrat, & ortum choroidis nudae ſcleroticae portiuncula remaneat, quam retina conueſtit.* Optime autem in oculo, cuius vaſa cera ſunt repleta, apparet, oram nigram circularem, vnde choroides ortum ducit, retinae origini tam arcte eſſe circumpoſitum, vt ne minimum ſpatiolum ſuperſit, vbi ſcleroticae lamina interna immediate retinam tangere poſſit. Circulus autem albus in fundo oculi circa foramen nerui optici neque ſemper adeſt, inprimis in adulto, aut certe tamen repletis vaſculis plane euaneſcit.

accedit, & inter ipſam originem fuſcae choroidis deprehenditur linea aut in neruo diſciſſo ſemicirculus albus, qui inter choroidem & piam matrem accuratiſſime limites ponit (*k*). Nexum autem illum choroidis cum pia matre ſola fieri celluloſitate, nec veram adeſſe piae matris in choroidem continuationem, optime ſuadet maceratio. Illa enim adiuuante, vincula illa celluloſa ſenſim ita ſoluuntur, vt leviſſima tractione, & diſciſſis, ſuſpenſa manu, vaſculis ciliaribus poſterioribus, choroides, ora poſteriori integerrima & illaeſa, ab extremo fine nerui optici ſaepe ſecedat, quod eo facilius adhuc contingit, ſi choroides, vaſculis, quibus ſcatet, innumeris cera repletis, paulo firmior & ſolidior facta fuerit, ne ipſa illius compages maceratione adeo facile ſolui poſſit. Quae quidem integritas orae poſterioris perfecte circularis ſummi roboris argumentum praebere mihi videtur, quo euinci poſſit, choroidem propriam & peculiarem eſſe oculi tunicam. Si enim vera eſſet piae matris propago, ſola maceratione a neruo optico ſeparari vix poſſe videtur, nec vnquam fere fieri poſſet, quin hinc atque illinc disrupta & lacera ora, & laciniae ex choroidis ſubſtantia euulſae veram piae matris in illam ſubſtantiam proderent. Addi quoque poſſet, ne vnicum quidem vaſculum, immediate, niſi ſalutata prius ſclerotica, ex pia matre nerui optici in choroidem tranſire, cum in omni reliquo corpore vaſa propagines membranarum ex altera parte in alteram tranſeuntes comitentur (*l*). Ipſam illam choroidis originem accuratius diſtinguit in oculo recenti circulus ſaturatiori fuſco colore tinctus, in oculo autem, cuius vaſcula cera ſunt repleta, interdum arteriolae nonnullae ex ciliaribus poſterioribus circulum circa originem retinae in ipſa choroidis ſubſtantia formant, vnde arteriolae parallelo itinere in interna

(*k*) Vid. *Tab.* I. *f.* I.

(*l*) Idem fere argumentum vrget APPEL *de oculi hum. fabrica.* *p.* 14.

na facie conſpicuae anteriora verſus decurrunt (*m*). Ipſa denique piae matris & choroidis fabrica diuerſiſſima, opinioni, choroidem eſſe tunicam propriam, ita fauet, vt nullam fere dubitationem relinquere videatur (*n*), ad quam adcuratius indagandam propius nunc accedemus.

§. VI.

Deſcriptio fabricae choroidis in oculo recenti obſeruatae.

Choroides tunica conflata eſt ex innumeris vaſculis, tam arterioſis, quam venoſis, celluloſitate ſubtiliori miro artificio in vnam telam coniunctis. Fabricam illam vaſculoſam cum GALENO (*o*) & RVFO EPHESIO (*p*) omnes fere, qui ſecuti ſunt, Anatomici agnouiſſe videntur, in eo conſentientes, huic tunicae denominationem choroidis hanc ob cauſſam fuiſſe datam, quod inſtar chorii plurima vaſa inter ſe colligaret. Nonnulli tamen fuerunt inter recentiores, qui praeter vaſcula fibras peculiares atras in ea ſibi viſas fuiſſe docuerunt, & ipſe MORGAGNIVS choroidem inprimis ex fibris rectis atris, quas a vaſculis ſollicite diſtinguit, componi affirmat. (*q*) Praeter illum autem ANTONIVS MAITREIEAN (*r*) quoque deſcribit fibras, a membranoſis diſtinctas, & ab ingreſſu nerui optici recta antrorſum tendentes, quorum tamen plurimas in itinere viam rectam deſerentes in vortices circumflecti affirmat. Facile quidem apparet, hunc nihil aliud niſi ipſa vaſa vorticoſa vidiſſe, & accuratior fabricae choroidis deſcriptio optime docebit,

(*m*) Vid. *T.* I. *f.* I.

(*n*) Conf. quae iam diximus. *Comment. Reg. Soc. Scient. Gotting. T.* III. *ſerm. de tunicis & muſculis oculi. §.* V.

(*o*) *De vſu part. L.* X. *c.* 2.

(*p*) *De appellat. part. corp. hum. l.* 1. *c.* 23. *l.* 2. *c.* 3.

(*q*) *Epiſt. anat. §.* XVII. *§.* 2. *Adu. anat.* VI. *animadu.* 70.

(*r*) *Traité des maladies de l'oeil. p.* 23. 24.

bit, choroidem vnice ex vaſculis tela celluloſa inter ſe coniunctis componi.

Primum choroidem recentem examini ſubiiciamus, & quomodo illa ſeſe habeat, priusquam vllum artificium anatomicum acceſſerit, paululum diſpiciamus.

Si ergo choroidis recentis, detracta ſclerotica, faciem externam examinemus, praeter tenuiſſimam celluloſam, ſcleroticae & choroidi interpoſitam, omnium primi apparent neruuli ciliares, in latiuſculas taeniolas explanati, qui omnibus reliquis choroidis vaſculis inſtrati per celluloſam illam in conuexa choroidis facie antrorſum decurrunt, vt extimum fere ſtratum efficere videantur, de quibus infra. Praeter illos neruulos in extimo illo ſtrato in conſpectum veniunt vaſcula frequenter duo, raro plura, ſingula in vtroque latere, fere ſemper ſanguine plena, quae poſterius ſcleroticam penetrantes recta fere longitudinem choroidis metiuntur, vix niſi minimis ramulis ad eam emiſſis, & anterius demum in orbiculum ciliarem ſe demergunt, arteriolae nempe ciliares longae, quae NVCKIO, HOVIO & aliis pro ductibus aquoſis impoſuerunt (*s*).

Illis autem neruulis & arteriolis, vti vulgo dicuntur, longis, ſubiecta videmus vaſcula diuerſi generis; alia enim & maiora, orta in media fere choroidis parte, ex trunco, vnde rami in omnem fere ambitum, inprimis autem anteriora & poſteriora verſus ſparguntur, & poſt aliquam ab origine diſtantiam paralleli inter ſe procurrunt. Vaſcula illa, vaſa vorticoſa vulgo dicta, & ab omnibus Anatomicis ad noſtra vsque tempora pro arteriis habita, venas choroidem adeuntes eſſe, ſumma peritia Ill. HALLERI primum nos docuit (*t*).

In

(*s*) Vid. Ill. HALLERI *deſcriptionem arter. oculi p.* 45. & *fig. adiect.* 4. & 5.

(*t*) Vid. *loc. mod. cit. p.* 47.

In oculo recenti & trunci & ſurculi inde oriundi ſanguine rubro ſemper turgent, in choroide autem in ſpiritu vini aſſeruata album colorem fere ſemper induunt, vt a ſubiectis aliis vaſculis facillime dignoſci poſſint. Surculis enim ex truncis venarum natis & retrorſum ad neruum opticum tendentibus, parallelis occurrunt, & ſpatia, vaſis vorticoſis interpoſita, vbique occupant, vaſcula alia, quae ſcleroticam poſterius perforarunt, plurima, ad acutos angulos ramoſa, quorum ſurculi, fere paralleli & inter ſe & cum ſurculis venoſis, antrorſum decurrunt, quae vaſcula in oculo recenti ſanguinolenta ſunt (*u*), in choroide autem in ſpiritu vini aſſeruata fibras fuſcas, rectas, albis ſurculis venoſis intermiſtas, referunt. Dicimus autem arteriolas ciliares poſteriores, quae poſterius in conuexa choroidis facie conſpicuae, ſenſim ſub vaſa vorticoſa ſeſe demergentes concauam illius tunicae faciem petunt, vt ante trunculos venoſos numero multo pauciores, & tenuiores inter ſurculos venoſos, fibris fuſcis ſimiles, deprehendantur (*x*). Omnia illa vaſa inter ſe tunicam formantia connectuntur ope celluloſitatis tenuiſſimae, mollis, lubricae, quae in fetu & infante candida & pura eſt, ſenſim autem rubello, & in adulto fuſco colore, nulla maceratione delendo, imbuitur.

Facies autem choroidis concaua, retinae obuerſa, ablato pigmento fuſco, in oculo recenti, infantis rubella & ſanguineo colore tincta, & adulti ex rubro fuſca, dilutioris tamen coloris, ac in externa facie, apparet, ita tamen, vt ſemper, etſi omnia reliqua vaſa colore ſanguineo infecta ſint, pars choroidis poſtrema, circa originem retinae, exſanguis & pallida reperiatur, & annulum album, qui nerui optici ingreſ-

(*u*) In ſuffocatis, & infantibus difficili partu mortuis tenuiſſimos iſtorum ſurculos ſanguine ſaepe rubro ita plenos vidi, vt aeque facile, ac vaſcula cera repleta, obſeruari potuerint.

(*x*) Vid. *Ill.* HALL. *loc. modo cit.*

ingreſſum cingit, fere referat (*y*). Quodſi faciem illam internam accuratius adſpiciamus, vbique in conſpectum veniunt vaſcula innumera, nempe arteriolae illae ciliares poſteriores, inter ſeſe parallelae, recta antrorſum tendentes, in quorum interuallis hic & illic ramuli vaſorum vorticoſorum transuerſim incedentes, & pone illas latentes apparent; quae in oculo recenti maxima ex parte ſunt ſanguinolentae, in ſpiritu vini autem ſenſim contractae fibras atras fere mentiuntur (*z*). Facies illa, in choroide in ſpiritu vini detenta, albido fere tenui colore illita apparet, vt vaſcula in interna facie conſpicua, ſubobſcure tantum oculis ſe ſiſtant, & lamina tenuiſſima & pellucida obduci fere videantur (*a*). Cuius quidem phaenomeni cauſam microſcopium, quod obiecta multum auget, optime in homine nos docet. Si enim lente faciem illam examinemus, apparet, illam vbique obduci villoſitate quadam, quae vndique emittit flocculos innumerabiles in aqua fluitantes, & breuiſſime eminentes. In brutis & inprimis in animalibus maioribus nudus oculus eos diſtinguit, vbi choroidis faciem internam (*b*) tegi videmus lami-

(*y*) Annuli huius albi inprimis mentionem faciunt diſcipuli Albiniani ſupradicti, qui inde choroidem oriri ſtatuunt.

(*z*) Infantis ſuffocati choroidis interna facies ſindonem tenuiſſimam, ſanguineo colore vbique aequabili modo tinctam, refert.

(*a*) Vid. *noſtr. Tab.* I. *f.* 1.

(*b*) In omnibus fere animalibus pars tantum choroidis poſterior, aut ab vno tantum latere, vt in boue, aut in omni ambitu, vt in veruece, fele & aliis, ſplendore eiusmodi viridi, coeruleo, flauo, aut argenteo fulget, vbi anterior, villoſa quidem, nigros autem flocculos emittit. In illis autem nunquam pigmentum nigrum faciei internae choroidis illitum eſt, neque ob craſſitiem laminae villoſae vaſcula vlla apparent. Aliter autem ſeſe res habet in cuniculo, vbi rubra vaſa choroidis, vix ab interna parte villoſae, per pupillam, pellucidamque lentem & corpus vitreum ita pellucent, vt ab eo ſingulari certe colore, LINNAEVS illud animalculum, leporem pupillis rubris, dixerit. Cauſa huius coloris,

 cum

lamina fere peculiari, leui, villoſa, cuius flocculi, in aqua conſpicui fluitant, & ſplendorem coeruleum & viridem & eleganter argenteum, qui choroidem animalium magna ex parte occupat, reddunt (*c*), cui villoſitati in leaena viſae Pariſini primum nomen tapeti impoſuerunt (*d*). Lamina illa villoſa non ſolum in choroide, ſed etiam in proceſſibus ciliaribus apparet, vbi flocculi longiores & in areolas fere quadrangulas ficti ſunt, in boue inprimis manifeſtiores, vbi eos humor ater obfuſcat, elutus autem puros & albos relinquit. In homine autem flocculi illius villoſitatis breviores, abluto pigmento fuſco, albi ſunt & inanes, nec vnquam ſplendorem, quem in brutis ſaepe videmus, reflectunt, qui nudo oculo viſi, faciem internam choroidis, inprimis in adultioribus, pallidiorem & in ſenio fere exalbidam reddere videntur (*e*). Facillimam autem huius phaenomeni explicationem ab illa villoſitate choroidis peti poſſe crediderim. Cum enim flocculi illi, qui in fetu & infante, ſi non verum ſanguinem, liquorem per vaſa cum rubris continua delatum, continebant, iam aetate ſenſim eliſi & inanes facti fuerint, quid obſtat, quo minus innumeris eiusmodi flocculis albis, eliſis, pallidum colorem, quem choroidis interna facies induere obſeruatur, tribuamus (*f*)?

§. VII.

cum morte expalleſcentis, vnice in pleno defectu nigri pigmenti eſſe videtur, cuius nullum veſtigium in eo animali ſupereſt. Vide Ill. HALLERI *opuſcula anatomica. p.* 343.

(*c*) Num hanc villoſitatem forte voluit HOVIVS, vbi intimam choroidis lamellam, quintam ſibi dictam, papilloſam eſſe tradidit? *libr. cit. p.* 37. *Tab.* III. *f.* I. fere ſuadet.

(*d*) *Mem. pour ſeruir a l'hiſtoire natur. des anim. p.* 23.

(*e*) PETITVS primum chorioidis internam faciem cum ſenio expalleſcere obſeruauit. *Mem. Ac. Roy. Sc. Pariſ.* 1726. *p.* 79. quem omnes fere, qui poſt illum ſcripſerunt, ſecuti ſunt.

(*f*) In ipſa certe celluloſitate choroidis degeneratio illa coloris ex fuſco in pallidiorem vix quaeri poſſe videtur. Omnes enim obſeruationes in eo conſentiunt, choroidem

§. VII.

Fabrica chorioidis ex oculo, cuius vaſcula cera ſunt repleta.

Alia autem plane facies ſurgit, ſi vaſcula choroidis materia ceracea repleta fuerint. Cum enim ſemper facillime cera repletis arteriis in venas tranſeat (*g*) tota facies externa, ſi iniectio rite ſucceſſerit, tot vaſcula preſſim ſibi adiacentia, & per ſtrata fere ſibi incumbentia, ante oculos ſiſtit, vt plura recipere non poſſe videatur. Praeter arteriolas ciliares longas inprimis in conſpectum veniunt venulae, vaſa vorticoſa vulgo dictae, quae trunculis amplioribus, & decurſu facile ab aliis ſe diſtinguunt, & ſurculis copioſiſſimis in arcum inflexis mediam choroidis partem inprimis occupant (*h*). Partem autem poſteriorem oculi, & interualla inter vortices venoſos in media choroide relicta, vnice conſtituunt praeter ſurculos venoſos, parallelo itinere retrorſum tendentes, arteriolae ciliares poſteriores, innumerae, ad acutiores angulos ramoſae, & prioribus & inter ſeſe parallelae, quae partim ſub vortices venarum ſe demergentes ex conſpectu ſe ſubducunt, partim per interualla venulis libera, denſiſſimo ordine parallelae, iter anteriora verſus proſequuntur, & ſenſim concauam choroidis faciem petunt. Plurimae tamen ad anteriorem quoque choroidis partem veniunt, quibus, vti ſurculis venoſis iridem adeuntibus, ſeſe intermiſcent ramuli ex arteriolis ciliaribus anterioribus orti, qui ex orbi-

roidem totam, quae in infante alba fuerat, cum aetate fuſco colore ita imbui, vt nulla maceratione fuſcitas illa elui poſſit.

(*g*) Idem adnotauit. Ill. HALLERVS *deſcr. art. oculi p.* 47. Aliter autem certe ſe res habet, ſi venae repletae fuerint. Etſi enim vel minimi ſurculi venoſi iridis ad oram pupillae vsque cera turgeant, vix vnquam tamen contingit, vt arteriolae ceram recipiant, quod iterata certe experientia me docuit.

(*h*) Vid. *icon. noſtr.* quae venulas per choroidem ludentes, exhibet. *T.* I. *f.* I. & Ill. HALLERI *fig.* 5.

orbiculo ciliari emergentes retrorſum aliquatenus procedunt, & arteriarum ciliarium poſteriorum, quae non omnes huc pertingunt, vicem ſupplent (*i*). Si repletio ex voto ſucceſſerit, vaſcula turgentia omnem locum ita occupant, vt vix celluloſitatis fuſcae vaſcula connectentis veſtigium appareat (*k*). Praeter vaſcula autem ne vnicam quidem fibram atram, rectam, vaſculis intermiſtam inueniemus, vt iniectio felicior nullum dubium relinquere videatur, chorioidem eſſe telam vnice ex innumeris vaſculis ope celluloſitatis conflatam. Longe maximam partem huius tunicae conſtituunt arteriolae ciliares poſteriores & vaſcula venoſa, quae in externa facie choroidis diuerſam directionem obſeruant. Poſterius arteriolae, earumque ramuli alii maiores, alii minores, antrorſum pergunt inter ſe paralleli, intermiſti ſurculis venoſis itidem parallelis & recta retrorſum decurrentibus, vbi vaſcula arterioſa & venoſa in eodem ſtrato poſita eſſe videntur. In media autem fere oculi parte ſurculi arterioſi, recti ſenſim concauam choroidis faciem petentes ſe ſubiiciunt ramulis venoſis, quorum plurimi ex origine in omnem ambitum ſparſi longa via per choroidem transuerſim incedunt, & arterioſos ſurculos, ſaepiſſime decuſſant. Eo ergo loco vaſcula venoſa, & arterioſa in duplici ſtrato poſita ſunt, vt exterius ſtratum venulae, interius arteriolae, prioribus tectae, occupare videantur (*l*), quae quidem fabrica, cum exterius ſtratum ab interiori aliqua ex parte auferri poſſit, RVYSCHIVM mouit, vt duas tunicas choroidis adeſſe crederet (*m*). Haec quidem ſunt, quae apparent in exteriori choroidis facie. Aliud autem ſpectaculum oculis ſeſe exhibet, ſi choroidis faciem internam adſpiciamus. Si enim iniectio in oculo infantis ex voto ſucceſſerit, tota illa facies interna macula rubra vniformis oculo nudo eſſe videtur, ac ſi

(*i*) Egregie illas delineauit. Ill. HALLER. *Tab. art. oculi f.* 4.

(*k*) Vid. RVYSCHII *Tab.* XVI. *ep.* XIII. *adiect. fig.* 8.

(*l*) Vid. iconem. RVYSCH. *Epiſt. probl.* XIII. *f.* 9. 10. & HEIST. *diſſ. de choroide adiectam Tab. f.* 6.

(*m*) Conf. *epiſt. modo cit. p.* 13.

ſi materia ceracea ruptis vaſculis in celluloſam effuſa fuiſſet, vt vix trunculi nonnulli arterioſi maiores, recti, per illam hic & illic pelluceant (*). Nec annuli albi circa originem retinae in recenti oculo conſpicui veſtigium ſupereſt, cuius locum plurima vaſcula anaſtomoſibus inter ſeſe iuncta ad extremam vsque oram choroidis vbique occupant. Vbi autem lens vitrea, quae obiecta plurimum auget, adhibita fuerit, fabrica nobis occurrit elegantiſſima, qualis in toto corpore humano reperitur, quae vnumquemque harum rerum non plane incurioſum non poteſt non voluptate adficere. Innumerae apparent arteriolae rectae, maiores, minores, repetito ſub angulis acutiſſimis ramoſae, inter ſeſe parallelae, & denſiſſima ſerie ſibi applicatae, quae innumeris anaſtomoſibus inter ſeſe communicant, & plurimas inſulas inter ſeſe intercipiunt. Arteriolae illae rectae obducuntur in interna ſuperficie reticulo pulcherrimo vaſculorum ſubtiliſſimorum, omnium fere eiusdem magnitudinis, in areas quadrangulas & fere rhomboideas fictorum, vt retis venatorii formam fere referant, & ſtructura inde euadat reticularis illi ſimillima, quam vltima vaſcula in pulmone, itidem in retis ſpeciem intertexta, conſtituunt. Pulcherrimum eſt illud reticulum & denſiſſimum, vt areolae minores vix diſtingui poſſint, in poſteriori choroidis parte ante locum illum, vbi in oculo recenti annulus albus ingreſſum nerui optici cingit, qua in origine choroidis tenuius minusque conſpicuum deprehenditur. Quo propius autem ad plicas proceſſuum ciliarium accedit, eo rarius & laxius euadit illud reticulum, & areolae eo maiores apparent, & in anteriori choroidis internae faciei parte ſenſim fere euaneſcit, vt arteriolae rectae, denſiſſime ſibi applicatae, & inter ſe parallelae, quae confertim proceſſus ciliares adeunt, illorum origini proximae, nudae, nec vllo reticulo tectae incedant. Pulcherrima tamen haec fabrica nunquam verbis ſatis deſcribi poteſt, quam autem icon a peritiſſimo arti-

(*) Vid. *noſtr. T. I. f.* I. & HALLER. *Tab. arter. oculi f.* 7, 8.

artifice ſumma diligentia facta optime exprimit. Inuenti huius plane noui laudem equidem mihi non omni ex parte arrogo, ſed illam deberi ſolertiſſimo LIEBERKÜHNIO publice lubentiſſime hic profiteor, inter cuius pulcherrima praeparata anatomica primum fabricam illam reticularem videre mihi contigit (*n*). Ex vaſculis illis in retis ſpeciem intertextis, vti anterius ex ſurculis ipſis proceſſus ciliares adeuntibus, vndique exeunt flocculi, illi ſuperius deſcripti (*o*), qui in oculo recenti albi & inanes faciem internam choroidis albam & villoſam reddunt, ab oleo tamen terebinthinae cinnabari tincto non aegerrime replentur, vt totam illam faciem rubro vniformi colore tingant (*p*). Quae quum ita ſint, coniectura non parum inde confirmari videtur, ex iisdem flocculis ſecerni pigmentum nigrum, choroidi obductum (*q*), in infante craſſius, vbi flocculi laxiores, & vti omnes corporis glandulae ſecretioni aptiores, in ſenio tenuius & dilutius, vbi omnes ſecretiones tardius procedunt. De vſu reticuli inferius in parte phyſiologica pluribus agemus.

§. VIII.

Vtrum tunica choroides ex duabus lamellis ſit compoſita?

Qua choroidis fabrica perſpecta, disquirendum nunc eſſe videtur, num tunica illa pro ſimplici haberi, aut an

(*n*) Vid. *T.* I. *f.* 2. Monendum praeterea eſſe duxi, iconem noſtram ad exemplar choroidis, ab humaniſſimo LIEBERKÜHNIO feliciſſime repletae mihique donatae, a noſtro KALTENHOFERO delineatam fuiſſe.

(*o*) Neminem reperio, qui ante editam meam epiſtolam, *de vaſculis ſubtilioribus oculi*, flocculos illos ex choroidis interna facie exeuntes in homine diſerte dixerit, vbi illorum iam mentionem feci. vid. *p.* 18. BERTRANDVM nondum vidi, qui eos habere legitur in Ill. HALL. *deſcript. arter. oc.* *p.* 48.

(*p*) Conf. *loc. modo cit.*

(*q*) Pigmentum illud ex vltimis ſecerni arteriolis iam credidit APPEL *diſſ. de oculi humani fabrica* §. X. *p.* 18.

an potius ex duabus lamellis compoſita dici poſſit. RVYSCHIVS (*r*) liti occaſionem dedit, qui primus choroidem humanam ex duabus lamellis eſſe compoſitam docuit, quarum alteram, *Ruyſchianam*, ipſe vocauit, nomenque a filio impoſitum, recepit; alteri nomen antiquum; choroidis reliquit, etſi ipſe primus non fuerit, qui diuiſionem choroidis brutorum in duas lamellas tentauerit. Nam ante ipſum GVENELLONIVS (*ſ*) iam in piſcibus aſellis duas choroidis laminas a ſe animaduerſas & delineatas propoſuit, & MORGAGNIVS (*t*) de ſe ipſo profitetur, ſibi a prima olim adoleſcentia oculos brutorum diſſecanti plura ſe obtuliſſe indicia, choroidem non ex vna lamina conſtare, & PARISINI (*u*) laminam interiorem villoſam ſplendentem, quam in Leaena ſeparari poſſe viderant, nomine nunc omnibus recepto, *tapetum, le tapis*, vocarunt. Cum autem RVYSCHIVS, in choroide humana, cuius vaſcula cera erant repleta, interdum portionem quandam laminae interioris ab exteriori ſeparari poſſe, &, attentius fabrica illa examinata, vtriusque laminae vaſcula diuerſa directione ferri videret, vt laminae exterioris vaſa ex trunco in omnem ambitum ſpargantur, interioris autem recta a poſterioribus anteriora verſus decurrant; facile ſibi perſuaſit, choroidem tunicam eſſe geminam, & ex duabus laminis compoſitam, quarum interiorem, nouam ſibi viſam, *Ruyſchianam* ipſe dixit, eaque denominatione, a filio tunicae illi impoſita, & ab omnibus fere recepta in omnibus ſcriptis, nemine fere contradicente, vſus eſt; exteriori autem nomen antiquum choroidis reliquit (*x*). Praeterea, vt nouae tunicae, a RAVIO impugnatae, maiorem conciliaret auctoritatem, illam non ſolum

(*r*) *Epiſt. probl.* XIII.

(*ſ*) Obſeruationes illius adferunt MORGAGN. *epiſt.* XVII. §. 3. & HEISTER. *diſſ. cit.* §. VII.

(*t*) *Epiſt. anat.* XVII. §. 3.

(*u*) *Memoir. pour ſervir a l'hiſt. natur. des anim. p.* 23.

(*x*) *Epiſt. Probl.* XIII. *p.* 13. 14.

lum tam in balaenae (*y*) oculo quam in humano praeparatam & in theſauris anatomicis ſeruatam, egregie deſcripſit (*z*), ſed etiam icone ad exemplar humanum facta propoſuit, vt in media fere oculi parte, portione quadam ſtrati exterioris, quod vaſcula vorticoſa ex trunco in omnem ambitum ſparſa conſtituunt, ablata, decurſum vaſculorum interiorum recta antrorſum tendentium, & exteriora decuſſantium ſiſteret (*a*), quam demum iconem HEISTERVS quoque recepit. Ab illo demum RVYSCHIO diuiſionem choroidis in duas laminas, nouamque nomine ſuo inſignitam tunicam, receperunt praeter diſcipulos, HEISTERVM (*b*), BERGERVM (*c*), PAVLI (*d*), plurimi recentiorum, vti BOERHAAVE (*e*), WINSLOW (*f*), SENNAC (*g*), LIEVTAVD (*h*), LE CAT (*i*), BONHOMME (*k*), PETIT (*l*), ST. YVES (*m*), TAYLOR (*n*), & inter noſtros ciues CASSEBOHM (*o*), FABRICIVS (*p*), LVDWIG (*q*), & quot non alii? Nec MORGAGNIVM ab illa opinione alienum eſſe ſupra vidimus. HOVIVS (*r*) autem binis laminis choroidis non conten-

(*y*) Vide *Theſ.* II. *Aſſ.* I. *n.* 9.

(*z*) *Theſ.* II. *Aſſ.* I. *n.* IV. VI. VII *not.* 4. *Aſſ.* II. *n.* XVII. *not.* 2. *Aſſ.* VI. *n.* XI. *not.* 4.

(*a*) Vide *Epiſt.* XIII, *adiectam T.* XVI. *f.* 9. & 10.

(*b*) *De tunica choroidea.* §. VII.

(*c*) *De natura humana. c.* XXIX. *p.* 403.

(*d*) *Annot. ad* HORNII *Microcoſm.* §. 54 *not.* k.

(*e*) *Inſtit. & Praelect.* §. DXX.

(*f*) *Expoſ. anat. de la tete* §. 218.

(*g*) *Libr. cit. p.* 692.

(*h*) *Epiſt. anat. p.* 240.

(*i*) *Libr. cit. p.* 154.

(*k*) *Cephalotom. p.* 142.

(*l*) *Edit. de Palfyn. anat. T.* II. *p.* 421.

(*m*) *Libr. cit. p.* 10.

(*n*) *Libr. cit.* §. 48.

(*o*) *Meth. ſec. p.* 320.

(*p*) *Idea anat. pract. p.* 132.

(*q*) *Inſtit. Phyſ.* §. 517.

(*r*) *Libro cit. p.* 181. Num forte ſimile quid vidit in oculis quorundam animalium maiorum, equi aut balaenae, vbi choroides in plures laminas, ſpurias licet, nec ab ipſa natura diuiſas, diuellere interdum licet? Sed inprimis homo ille in eo peccaſſe videtur, quod obſer-

contentus, reliquorum mortalium induſtriam ita ſupergreſſus eſt, vt quinque choroidis faceret laminas, nouitatis potius quam veri ſtudioſus.

Etſi vero opinio illa RVYSCHII primum omnium fere communi applauſu fuerit excepta, noſtro tamen inprimis aeuo non deſunt, qui illam infringere, &, ad veterum opinionem recedentes, choroidem eſſe membranam ſimplicem affirmare non dubitant. Ipſo iam RVYSCHII tempore acrem opinio illa nacta eſt aduerſarium, RAVIVM, contra quem ipſe RVYSCHIVS fortiter illam defendit (s), & VERHEYENIVS (t) iam tunicam interiorem ab exteriori in oculo humano ſeparari poſſe negauit, etſi in oculo ovillo diviſionem illam ſibi ſucceſſiſſe fateatur. Inprimis autem noſtro aeuo ALBINVS, teſtibus illius diſcipulis, APPEL (u), LOBE' (x), & HEVERMANN (y), ſatis oſtendit, choroidem ſimplicem tantum eſſe membranam, & vtriusque faciei vaſcula vbique intime inter ſe iungi, vt ſine vi illata & laceratione choroides in duas tunicas diuidi vix poſſit, etſi vel ipſius RVYSCHII induſtriam ſuperans in recenti oculo diviſionem illam felici ſucceſſu tentauerit (z), quibus demum omnibus accedit teſtimonium Ill. HALLERI, qui itidem in homine choroidem in duas laminas ſeparari poſſe negavit (a).

Quibus expoſitis, quae mihi hanc circa rem obſeruata fuerint, paucis exponam. In brutorum nonnullorum oculis choroidem in duas laminas ſeparari poſſe, poſt MORGAGNI-

obſeruationes, neque ſatis certas, neque ſatis accuratas, in oculis brutorum factas ad fabricam humanam temerario auſu tranſtulerit.

(s) Vid. *epiſt. cit. probl. & Adverſ. anat. dec.* III. *p.* 5.

(t) *Anat. corp. hum. Tr.* IV. *c.* 14.

(u) *Diſſ. cit. p.* 12.

(x) *Diſſ. cit.* §. 39. 40.

(y) *Phyſiol. T.* II. §. 732.

(z) Vid. LOBE' *diſſ. loc. modo cit.*

(a) *Deſcript. arter. oculi. p.* 46.

GAGNIVM, VERHEYENIVM & alios propria certe me docuit experientia, vt eo facilius & RVYSCHIO & HEISTERO fidem adhibeam, choroidem in oculo balaenae absque vllo artificio in duas ſeparari poſſe laminas. Vix tamen auſim experimentum in oculis bubulis & ceruinis captum huc adferre. Etſi enim ſaepe mihi contigerit, vt, in oculis illorum animalium, inprimis in oculo ceruino laminae internae in ceruo eleganter coeruleae portionem ſatis magnam, vbique aeque craſſam, membranae peculiaris inſtar a ſubiecta nigricante lamina auellere, & inuertere liceret; etſi ſaepe viderim, ſcleroticam ſublatam oculi bubuli ſequi laciniam choroidis, ita adhaerentem, vt ſcalpello esſet detrahenda, dubius tamen ſemper haeſi, num hac ex obſeruatione pro confirmanda opinione de choroide duplici multum dici poſſit. Inter omnes conſtat, in toto corpore humano, vbi partes ex pluribus laminis compoſitae adſunt, inter duas laminas diſtinctas ſemper intercedere telam celluloſam modo laxiorem, modo tenuiorem, quod fabrica inteſtinorum, ventriculi, durae matris, & pericardii apprime docet. Inter faciem autem internam choroidis villoſam, & ſubiectam nigram tunicam nulla plane interpoſita eſt celluloſa, vt tapetum illud ex ipſa altera pronaſci, eiusque ſubſtantiae continuari, facile appareat (*b*). Quae demum laminae ſequuntur ſcleroticam ſublatam, laciniae ſunt choroidis vi illata auulſae, nec quidquam probare videntur. Pluris autem valere videntur obſeruationes in oculo equino inſtitutae, vbi in facie exteriori choroidis vera lamina vaſculoſa cohaerens & integra a ſubiecta itidem vaſculoſa, cuius vaſcula diuerſum tenent decurſum, ope celluloſitatis a priori diſtincta, facili negotio integra fere ſeparari poteſt, cui interiori demum lamina villoſa craſſiuſcula continuatur (*c*).

Quo-

(*b*) Vid. *Comment. Soc. R. Scient. Gotting.* T. IV. *obſeru. de differentia inter fabricam oculi humani & brutorum.*

(*c*) Duas tunicas choroidis inter ſe diſtinctas in oculo equino adesſe

Quomodocunque autem in oculis animalium illa ſeſe habeant, multum tamen abeſt, quin inde elici poſſe credam, in oculo humano itidem choroidem ex duabus lamellis aut pluribus eſſe compoſitam. Etſi enim forte in media oculi parte lamina pertenuis, quam ſurculi venoſi ex trunco modo orti & in ambitum ſparſi, ſibique adhuc vicini, & ope tenuiſſimae celluloſitatis inter ſe connexi, conſtituere videntur, a ſubiectis vaſculis rectis arterioſis aliqua ex parte in oculo, cuius vaſcula cera turgent, ſeiungi poſſit, quod RVYSCHIO interdum ſucceſſiſſe videtur; ipſi tamen illi ſurculi venoſi cum arterioſis vaſculis rectis & poſterioribus & anterioribus nimis cito ita confunduntur, vt in eodem plano, cum illis decurrant, & illis intermiſtae, itinere parallelo ferantur. Praeterea plurimae arteriolae & poſterius & anterius & in media oculi parte ſcleroticam perforantes concauam choroidis faciem petunt, quae omnia in diuiſione choroidis diſcindi oporteret, & plane impediunt, quo minus ſine vi adhibita & laceratione partium ſibi continuatarum choroides in duas laminas diuidi poſſit (*d*). Reticulum autem ſuperius deſcriptum, & quae inde exit villoſitas in choroidis facie interiori conſpicua, non ſolum vera eſt propago arteriarum rectarum antrorſum tendentium, quam ſine laceratione & diſciſſione partium ſeparare nunquam licet, vti modo diximus, ſed etiam tantae ſubtilitatis eſt, vt, illam ſeiungere, ſupra vires mortalium poſitum eſſe videatur. Nec multum certe fauet Ruyſchianae opinionis aſſeclis argumentum, ex ipſa diuiſione naturali & ſeparatione ſpontanea choroidis in iridem & proceſſus ciliares deſumtum. Inferius enim docebimus, iridem eſſe partem a choroide diſtinctam, totamque choroidem ſimplicem in plicas proceſſuum ciliarium vnice abire.

§. IX.

ſe iam monet BOVRGELAT in *elemens d'hippiatrique*, quem citatum videſis *nou. litt. Gotting. p.* 748. *anni* 1754.

(*d*) Vid. LOBE *diſſ. cit.* §. 40.

§. IX.

De annulo celluloſo, qui ſub nomine orbiculi ciliaris ſcleroticae choroidem annectit.

Choroides ergo illa tunica, vbi propius ad originem pellucidae corneae peruenit, in vtraque illius facie tam in exteriori quam in interiori non parum mutatur. Quemadmodum autem choroides vbique praeter vaſcula multa celluloſitate, quam ſecundum ductum vaſorum copioſiorem deprehendimus, ſcleroticae adhaeret; ita anterius ad lineae fere diſtantiam a corneae origine ſenſim obduci incipit celluloſa alba, breui, molli, lubrica & aqua ſemper turgida, poſterius tenuiori, & laxiori, anteriora verſus ſenſim aucta & denſiori, quae annulum album refert, & arctius inprimis vinculum conſtituit (*e*), cuius ope choroides accurate cum ſclerotica coniungitur, vt, flatus per vulnuſculum ſcleroticae inflictum nunquam vinculo illo ſoluto in cameram anteriorem humoris aquei penetrare poſſit, etſi facillime per omne interuallum ſcleroticae & choroidi interpoſitum diffuſus choroidem a ſclerotica depellat (*f*). Arctiſſime ſcleroticae adhaeret vinculum illud celluloſum ad circulum illum nigrum, cuius ſupra mentionem fecimus, cui a facie interiori corneam limitanti lamina anterior iridis agglutinatur. Vbique autem multo arctius iungitur ipſi ſubſtantiae choroidis, quae ſub illo annulo celluloſo ſubtilior & tenuior facta introrſum verſus lentem ſe flectit, vt, niſi ſuſpenſa & exercitata manu omnia tractentur, celluloſitas illa vix ſine choroidis laceratione auferri poſſit (*g*). Alba & pura ſemper eſt,

(*e*) Primum celluloſam naturam huius annuli optime nos docuit Ill. HALLERVS in *prim. lin. Phyſ.* §. DVI. *& deſcript. art. oculi. p.* 45.

(*f*) Vide WINSLOW. *Tr. de la tete.* §. 48.

(*g*) Ductus quotidiana certe experientia Cel. FERREIN adſtipulari

eſt, etſi omnis reliqua choroidis celluloſa fuſco colore tincta ſit. Cingulum illud in homine vix vltra lineam latum in oculis brutorum, duas tresue lineas latum ſaepe deprehenditur, in omnium autem animalium oculis, quos diſſecui, tam hominis quam brutorum ſemper obſeruaui, latitudinem illius latitudini corporis ciliaris non omnino reſpondere, etſi enim, quo longiores plicae proceſſuum ciliarium in vllo animali reperiuntur, eo latiorem annulum celluloſa illa conſtituat, ſtriae tamen in proceſſus degenerantes in omnibus fere vltra orbiculum celluloſum retrorſum longius extendi videntur. Ille demum ordinat & excipit neruulos & arteriolas ciliares, anteriores & longas, earumque ſurculos inde ad iridem abeuntes, circulumque iridis arterioſum magna certe ex parte tegit (*h*). Cingulum illud celluloſum plerique nunc Anatomici poſt MAITREIEAN (*i*) vocant orbiculum ciliarem, a multis (*k*) autem ligamentum ciliare, & a FERREINIO (*l*) circulus choroidis dicitur, quod Cel. LIEVTAVD ſub nomine plexus ciliaris tela ex plurimis ſurculis nerui tertii paris formata eſſe videtur, vnde ad omnes partes vicinas propagines mittantur (*m*), vti ST. YVES (*n*) orbiculum illum ex fibris tendineis conflatum eſſe credit.

Eo quidem loco choroidem in iridem produci, ab interna autem facie proceſſus ciliares emitti, plurimi Anatomici perhibent, cum aliis iris exterioris tantum eius laminae

pulari non poſſum, qui illum annulum a ſclerotica non ſolum ſed ab ipſa choroide facile ſeparari poſſe aſſerit. *Mem. Ac. R. Scient. Par.* 1741. *p.* 378.

(*h*) Confer *iconem* Ill. HALLERI *art. oculi. f.* 5. 6.

(*i*) *Libr. cit. C.* XIII.

(*k*) v. g. WINSLOWO. §. 218. CASSEBOHM. *libr. cit. c.* XIX. §. 15.

(*l*) *Loc. modo cit.*

(*m*) *Eſſ. anatom. p.* 128.

(*n*) *Vid. libr. ſaepe cit. p.* 11.

minae propago, vti corpus ciliare interioris continuatio eſſe videatur, quae quidem opinio illis inprimis probatur, qui choroidem ex duabus lamellis compoſitam eſſe ſibi perſuadent. Re autem accuratius examinata ipſe orbiculus ciliaris intercedere mihi videtur, quo minus choroides in ipſam iridem degenerare poſſit. Vt enim diuerſam iridis fabricam, craſſitiem, & directionem, decurſumque vaſculorum illam perreptantium diuerſum nunc taceam, qua de re inferius pluribus agemus; non ſolum in homine ſed adhuc manifeſtius in plurimis animalibus apparet, laminam anteriorem iridis, a corneae interno ambitu ortam, ſic ante cellulosam illam deſcendere, vt ipſa iris, tota craſſitie orbiculi ciliaris interpoſita plurimis in animalibus ſatis magna, a vera choroide diremta eſſe videatur. Ipſa autem choroides ſub orbiculo ciliari extenuata, a ſclerotica, intra quam ad hunc vsque locum concentrica expandebatur, ſenſim introrſum ſecedit, & in plicas proceſſuum ciliarium abit, de quibus ſtatim agemus.

CA-

CAPVT. II.

DE

TVNICA CHORIOIDE

SECTIO II.

DE

PROCESSIBVS CILIARIBVS.

§. I.

Hiſtoria proceſſuum ciliarium.

Ab antiquiſſimis iam anatomicis, qui ante Galenum fuerunt, proceſſus ciliares fuiſſe animaduerſos & ab illis denominationem a pilis palpebrarum, ſiue ciliis, originem duxiſſe, GALENVS teſtatur, qui ipſe illos proceſſus pro vaſis tenuibus, ab vuea venientibus, cryſtallino humori inſertis, & vitreum, ne ad anteriora excurrat, coërcentibus, habuiſſe certe videtur (*a*). Poſt GALENVM VESALIVS, eadem comparatione facta, proceſſulis, ab vuea enatis, & nigra cilia, ſeu palpebrarum pilos forma inſigniter exprimentibus, tunicam formari ſcribit, anteriori humoris vitrei parti obductam, aut ſeptum humori vitreo, & aqueo interiectum (*b*). Minus autem cognitos, parumque accurate obſeruatos ſibi fuiſſe ex rudi figura, quam de illis dedit, ſatis apparet, vbi craſſo certe errore ſeptum illud nimis latum, & in medio oculi centro ab iride longe disiunctum ita pingit, vt oculi cauitas inde in duas partes aequales diviſa

(*a*) *De vſu part. L. X. c.* 2.

(*b*) *De corp. hum. fabrica, p.* 804.

viſa videatur (*c*); quem errorem inde in librum ſuum tranſtulit SALOMON ALBERTI (*d*), qui interſtitio ciliari oculum medium in duos ſemiglobos ita diuidi ſcribit, vt anterior tamen minor ſit. Ob ipſum illum errorem VESALIVM a plurimis illius temporis anatomicis acriter fuiſſe reprehenſum, mirum non eſt, etſi fatendum ſit, COLVMBVM (*e*), FABRICIVM (*f*), & CASSERIVM (*g*) in contrarium incidiſſe errorem, qui tunicam illam nihil aliud eſſe crediderunt, quam nigra vueae tunicae veſtigia, in cryſtallinum, aut potius in retinam impreſſa. CASSERIVS tamen ipſe ſe corrigere videtur, dum alio loco vueam reuera ad cryſtallinum reuerti, eique per vaſorum inſignem contextum annecti ſcribit (*h*). Ad redarguendum errorem illum VESALII factae fuiſſe videntur figurae EVSTACHII, quibus corpus ciliare ad naturae normam iridi connexum ex anteriori parte choroidis ortum exhibet, & proceſſus ciliares tanquam ſtrias conuergentes pingit (*i*), in eo CASSERIO minor, qui illos tanquam corpuſcula oblonga, ad cauum ambitum craſſiora, optime delineat (*k*). Vti autem EVSTACHIVS & CASSERIVS icone, ita FALLOPIVS deſcriptione errorem Veſalianum corrigit, qui reiecto nomine tunicae Veſaliano, annulum ex proceſſibus ciliaribus compoſitum, corpus ciliare vocari maluit, illumque nexum modo eſſe & ligamentum, quo vuea iungatur extremae membranae cryſtallinae, monuit (*l*), quem in eo fere ſecuti ſunt plurimi alii, vti C. BAVHINVS (*m*), DIEMERBROECKIVS (*n*), PLEMPIVS (*o*), THOMAS BARTHOLINVS (*p*),

qui

(*c*) *L.* VI. *c.* XXIV. *f.* 1.
(*d*) *De part. C. H. p.* 23.
(*e*) *De re anat. l.* X.
(*f*) *De oculo. P.* I. *c.* 4.
(*g*) *Pentaiſth. l.* 5. *ſect.* I. *c.* 26. *ſect.* 3. *c.* 8.
(*h*) *Sect.* I. *c.* 25.
(*i*) *T.* XL. *f.* 9. & 11.
(*k*) *T.* V. *f.* 7. & 9.
(*l*) *Obſeru. anat. p.* 265. *a.*
(*m*) *Anat. L.* III. *c.* 39. *p.* 400.
(*n*) *Anat. L.* III. *c.* XVII.
(*o*) *Ophthalmogr. c.* X.
(*p*) *Anat. reform. L.* III. *c.* 8.

qui itidem proceſſus ciliares tantum eſſe filamenta tenuia, quae lentem vueae annectant, tradiderunt. Ab aliis autem, vti TAVVRY (*q*), ANDREA LAVRENTIO (*r*), & SLADO (*s*) vnice pro vaſis lentem nutrientibus habentur, vti quoque poſt illos HOVIO (*t*), de la HIRE (*u*), PETITO (*x*) vnice fere vaſculoſa videntur. Recentiorum demum induſtria multum eorum hiſtoriae addidit, & inprimis MORGAGNIVS vtiliſſima nos, circa illorum verum ſitum, connexionem, originem & fabricam nos docuit (*y*). BOERHAAVIVS (*z*) corpus ciliare eſſe dicit tenuiſſimam membranulam, inſtructam fibris muſcularibus, a choroide ortam, & lenti inſertam, quam quidem ſententiam ita receperunt Albiniani diſcipuli, vti LOBE (*a*), HEVERMANN (*b*), vt illis fibris muſculoſis plurima vaſcula & filamenta neruea admiſta eſſe affirment. Vtilia quoque ſunt quae WINSLOWVS (*c*) illorum hiſtoriae addidit. Optime demum placet eorum deſcriptio, qui poſt VESLINGIVM (*d*) proceſſus ciliares plicas choroidis eſſe ſtatuunt, quae quidem ſententia in multis recentiorum libris, WINSLOWI (*e*), SENNACI (*f*), BONHOMME (*g*), HEISTERI (*h*), CASSEBOH-

(*q*) *Anat. raiſonn. l.* III. *c.* 8. *p.* 346.

(*r*) *De oculo. c.* 4.

(*s*) Vid. BLASII *annot. ad* VESLINGII *Synt. Anat. C.* XV. *p.* 240.

(*t*) *Libr. cit p.* 44.

(*u*) *Opinionem de la* HIRE adfert PLATNER in *progr. de motu ligamenti ciliaris*, *quod extat in Tom.* II. *opuſc. vbi vide p.* 114.

(*x*) *Mem. Ac. R. Scienc. Paris.* 1730.

(*y*) *Epiſt. Anat.* XVII. §. XI. *ad* XVI.

(*z*) *Inſtit. med.* §. 522.

(*a*) *Diſſ. cit.* §. 47.

(*b*) *Phyſiol. T* II. §. 738.

(*c*) *Tr. de la tete* §. 221.

(*d*) *Synt. Anat. C.* XV.

(*e*) *Loco modo cit.* Si tamen eius verba accurate conſideres, proceſſus ciliares non adeo plicas choroidis quam potius laminae poſterioris vueae eſſe ſcribit.

(*f*) *Anat. d'Heiſter. p.* 692.

(*g*) *Cephalotom. p.* 142.

(*h*) *Diſſ. cit.* §. VII. VIII.

BOHMII (*i*), LVDWIGII (*k*) & Ill. HALLERI (*l*) legitur.

Pauci ſunt, qui icones, quae vſui eſſe poſſint, de illis dederunt. Poſt EVSTACHIVM & CASSERIVM ſupra dictos illos quoque ſatis bene delineat VERLE (*m*). HOVIVS non ſolum corpus ciliare ex boue (*n*), ſed etiam plicas ſingulas, decurſumque vaſorum, per illas ludentium (*o*) nobis exhibet. RVYSCHIVS itidem corpus ciliare ex homine & vitulo & plicas nonnullas ſingulas ex vaſculis maioribus arcu inter ſe iunctis compoſitas depingit (*p*). PALVCCI figura, quae annulum proceſſuum ciliarium in ſitu nobis ſiſtit, optime naturam exprimit (*q*), & Ill. HALLERI icon (*r*), etſi alio ſcopo facta, vtiliſſime quoque nobis inſeruire poteſt (*).

§. II.

Denominatio corporis ciliaris & proceſſuum ciliarium.

Priusquam autem ad ipſam deſcriptionem harum partium accedimus, nonnulla circa illorum appellationem monenda eſſe duxi, inprimis cum Anatomici permutatione nominum, eandem rem diuerſis nominibus appellantes, res per ſe ipſas haud ita omnibus perſpicuas, non parum obſcurauerint. Quam enim partem VESALIVS *tunicam ciliarem*, alii *ligamentum ciliare*, FALLOPIVS autem & longe poſt illum

(*i*) *Method. ſec. p.* 325.

(*k*) *Inſtit. Phyſ.* §. 518.

(*l*) *Deſcr. arter. oculi. p.* 28. Ipſe eandem ſententiam propoſui *in progr. de ligam. ciliar.* §. II. & III.

(*m*) *Anat. Artif. oculi. f.* 11. & 12.

(*n*) *T.* 2. *fig.* 4. & *T.* 4. *fig.* 3.

(*o*) *T.* 3. *fig.* 1. 2. *T.* 5. *f.* 2.

(*p*) *Theſ.* II. *T.* I. *f.* 4. fabricam humanam, & 7. vitulinam ſiſtit.

(*q*) *Methode d' abatre la cataracte. T.* II. *f.* 1. 2.

(*r*) *Tab. art. oculi. f.* 8.

(*) Ex boue illos pingit BIDLOO *T.* XI. *f.* 13.

lum MORGAGNIVS *corpus ciliare* vocare maluerunt; plicas autem ſingulas alii cum VESALIO *proceſſus ciliares*, alii, vti ipſe FALLOPIVS, VIDIVS, FABRICIVS AB AQVAPENDENTE, CASSERIVS & recentiori tempore praeter alios HEISTERVS (*s*), & Ill. HALLERVS (*t*) *ligamenta ciliaria* dixerunt, quae iterum noua appellatione LIEVTAVD *radii ciliares*, & PALVCCI *fibrae pallidae* vocantur. Inprimis autem RVYSCHIVS inconſtantius his nominibus vſus eſt, qui certe eandem partem modo *ligamentum ciliare*, *modo proceſſum ciliarem*, & plicas corporis ciliaris plerumque *tendines ligamenti ciliaris* dixit (*u*). Vt ergo eo facilius omnes me de hac re loquentem intelligant, nomine *corporis ciliaris*, totum annulum, ex plicis ſingulis compoſitum, vocabulo autem *proceſſuum ciliarium* ipſas plicas ſingulas conſtanti vſu ſemper appellabo. Primum ergo conſiderabimus corpus ciliare ſeorſim viſum.

§. III.

Deſcriptio corporis ciliaris.

Remota ſclerotica, choroide & retina haemiſphaerii ſuperioris, ſectione ducta ab ingreſſu nerui optici ad diſtantiam duarum circiter linearum pone originem corneae, ita vt, illaeſo nexu celluloſo choroidis cum ſclerotica, lens & humor vitreus in ſitu maneant, introſpiciendo per pellucidum humorem vitreum, in conſpectum venit in anteriori parte choroidis annulus niger elegantiſſimus, floris radiati diſco

(*s*) Vid. *Diſſ. cit. & comp. anat.* §. 276. qui & *fibras ciliares* vocauit.

(*t*) In omnibus libris anatomicis, & ipſe ita dixi in *progr. de ligamentis ciliaribus.*

(*u*) Sic diſerte in *epiſt. problem.* XIII. *reſponſ.* corpus ciliare nomine ligamenti ciliaris deſignat, in *Theſ.* II. *Tab.* I. *f.* 4. & 7. *explic.* eodem nomine vtitur *Theſ. eodem* tamen *Aſſ.* I. *n.* XV. idem ſub nomine proceſſus ciliaris velle videtur.

diſco ſimilis, qui coronae inſtar lentem circumcirca ambit, in homine adulto tempora verſus duas fere lineas latus, ad naſum ſemper, & interdum ſatis manifeſte anguſtior, quam latitudinis inaequalitatem RVYSCHIVS iam figura ex vitulino oculo expreſſit (*x*), etſi in deſcriptione nullam eius mentionem faciat, & praeter illum MORGAGNIVS (*y*), & WINSLOWVS (*z*), eodem modo in oculo humano & inprimis in fetu obſeruarunt. Annulus ille, cuius ambitum maiorem & conuexum ora ſerrata & vndulata accurate limitat, & a poſteriori choroidis parte diſtinguit, in parte poſteriori & ampliori vbique nigerrimus apparet, ad lineae autem a lente diſtantiam plurimae lineae albae, cum interuallis nigris alterne poſitae, apparent, vt duo fere inde annuli formentur, alter poſterior & amplior, vbique aequabiliter nigro colore tinctus, alter anterior & anguſtior, ex lineis albis & nigris alterno ordine poſitis eleganter varius (*a*). Lineae illae albae, ex ſtriis vix conſpicuis origine pallidiori ortae, lentem verſus ſenſim lateſcunt, & propius ad ſe inuicem accedentes, vltra circulum maximum lentis ad conuexitatem eius anteriorem produci videntur, vt ſatis magna pars illarum ante lentem ipſam ſita ſit, nec niſi transſpiciendo per eius ſubſtantiam pellucidam in oculos incurrat (*b*). Quod ſi autem fabrica illa paulo pro-

(*x*) *Theſ.* II. *T.* I. *f.* 7.

(*y*) *Epiſt. anat.* XVII. §. 14.

(*z*) *Mem. Ac. R Sc. Par.* 1721. & *Tr. de la tete* §. 227.

(*a*) Sic etiam MORGAGNIVS corpus ciliare in duos diuidit annulos, vbi CASSERII figuram explicat. *epiſt. cit.* §. II.

(*b*) Nonnulla hic monenda eſſe videntur, vt figura noſtra eo facilius intelligi poſſit, & obiectioni occurratur. Vti ipſa enim figura docet, radii albi ad vtrumque latus lentis poſiti, lentem ipſam non attingunt, vt inter eius marginem eorumque extremitatem ſpatium fere ſemilunare intercedat, per quod ipſa facies poſterior iridis in conſpectum venit. Sed cauſa huius phaenomeni ipſi praeparationi tribuenda eſſe videtur. Ablato enim tunicarum & inprimis ſclero- ticae

propius & attentius inſpiciatur, ita tamen, vt, omnia adhuc illaeſa, & partes modo dictae in ſitu ſuo maneant, tunc optime animaduertimus, lineas illas albas eſſe corpuſcula, oblonga, eminentia, ad ambitum corporis ciliaris conuexum tenuiora & pallidiora, ad cauum craſſiora & magis alba, quae ſenſim lento ortu ex ſtriis vix conſpicuis, parallelis, in corporis ciliaris ambitu ampliori, poſteriori, ab ora illius extrema vndulata, antrorſum incedentibus, oriuntur. Radios illos albos, per reliquam nigredinem & MORGAGNIVS & WINSLOW attigerunt, vti olim iam CASSERIVS, & recentiori tempore RVYSCHIVS & PALVCCI, margines eminentes proceſſuum ciliarium albicantes, interuallis nigris diſtinctos, delinearunt (*c*). Mirari autem fere ſubit, quomodo WINSLOWVS albedinem illam retinae, albae pelliculae inſtar proceſſibus ciliaribus obductae, deberi crediderit (*d*), cum radii illi in oculo, vbi omnia adhuc ſunt in ſitu naturali, iam conſpiciantur, & totus annulus niger ambitus poſterioris corporis ciliaris interpoſitus, radios albos ſatis longo interuallo ab anteriori ora retinae ſeiungere videatur.

Alia autem occurrit facies, ſi humor vitreus cum cryſtallino depoſitus fuerit, qui quidem in oculo corporis ante aliquot iam dies mortui ſtatim, ablatis tunicis, ſponte ſecedit, in recenti autem difficilius, omnibus partibus integris & illaeſis, inde auferri poteſt. Maxima ſemper pars humo-

ticae haemiſphaerio ſuperiori, & aequabili illa reſiſtentia ſublata, humor vitreus pondere ſuo latera oculi extrorſum vrget & hac ratione figura oculi ex ſphaerica in latiorem mutatur, quem humorem vitreum ad latera ſe expandentem proceſſus ciliares eo facilius ab vtroque latere ſequuntur, cum lenti quidem non iuncti, ipſi autem humori vitreo arctiſſimo vinculo cohaereant, ita vt extremitates eorum a margine lentis remotae & diuulſae appareant. Vid. *Tab.* II. *fig.* 1.

(*c*) Vid. *loca & figurae modo citatae.*

(*d*) *Tr. de la tete.* §. 237.

humoris atri, corpori ciliari illiti, & in infante omne illud pigmentum, corporis vitrei faciei anteriori adhaerens relinquitur (*e*), quod annulum ibi format pulcherrimum, cuius ipſa facies concaua inſpiciendo per humorem vitreum in conſpectum venit, aeque latum fere ac corpus ciliare, & eodem modo tempora verſus tamen paulo latiorem (*f*), ora tam anteriori, quam poſteriori eleganter ſerrata circumſcriptum, qui vltro humorem vitreum ipſam faciem anteriorem lentis adſcendit (*g*). Figuram autem eleganter ſtriis parallelis ſulcatam, & radiati floris diſco ſimilem ipſi proceſſus ciliares illi imprimunt.

Depoſitus ergo cum humore vitreo humor ater corpus ciliare in infante plerumque album plane & purum relinquit, vt corpus illud annulum album, inter atram vueam & fuſcam choroidis partem poſteriorem interiectum, referat. In adulto autem temere hic illic relictum leue pigmentum corpori ciliari agglutinatum relinquitur, & inprimis valleculis, radios albos alterno ordine excipientibus, pertinaciſſime adhaeret, vt nonniſi maceratione & crebra in aqua agitatione inde ablui poſſit. Abſterſo autem omni illo humore atro optime apparet, corpus ciliare eſſe veram continuationem choroidis, nec membranulam peculiarem ab illa tantum ortam

(*e*) Vid. ſupra *Sect.* I. §. III. *p.* 34.

(*f*) Conf. CAMPERI *diſſ. de quibusdam oculi partibus. cap.* II. §. VI.

(*g*) Vid. RVYSCHII *epiſt.* XIII. *adi. Tab* XVI. *f.* 1. & Ill. HALLERI *Tab. art. oculi f.* 7. & 8. Annulum autem illum nigrum humori vitreo circa lentem illitum plurimi auctores pro vera corona ciliari habuiſſe videntur, optime ab Ill. HALLERO *deſcr. arter. oculi p.* 43. refutati, qui vere monet, illorum coronam ciliarem merum coagulum nigri muci eſſe. Vera autem corona ciliaris alibi iam nobis dicta *Progr. de ligam. ciliar.* §. IV. ſub humore illo atro latet, quae vera eſt membranula peculiaris ab humore vitreo orta & lenti inſerta, & abluto demum coagulo illo nigri muci in conſpectum venit.

ortam dici poſſe, etſi propago illa choroidis mutationem quandam ſubeat. Annulum ibi fere refert, cuius pars poſterior coloris fere cinerei, pallidioris tamen, ac ipſa pars poſterior fuſca choroidis, apparet, anterior autem pars ob translucentem celluloſam albam orbiculi ciliaris, dilutioris eſt coloris & fere carnei aut ex cinereo albicantis (*h*). Corpus illud ciliare poſterius quidem ſcleroticae concentricum progreditur, anteriora verſus ſenſim, interpoſita celluloſitate orbiculi ciliaris, ſuperficiem illius tunicae interiorem deſerit, & introrſum lentem verſus deflectit, ita vt choroides, in corpus ciliare hic continuata, humori vitreo potius quam ſcleroticae concentrica eſſe videatur.

§. IV.

Proceſſus ciliares in oculo recenti.

Accuratiori demum examine adhibito in parte poſteriori corporis ciliaris in conſpectum veniunt ſtriae aut lineolae tenuiſſimae, plurimae, in homine vix conſpicuae, inter ſe parallelae, quae ab ambitu conuexo poſteriori corporis ciliaris incipiunt, & vltra lineae ſpatium vix in itinere auctae procedunt (*i*). Striae illae ad lineae fere diſtantiam ab origine iridis ſenſim increſcunt, & prope ipſum nexum iridis cum corpore ciliari eleuantur in plicas, in quarum ſingulas ſaepe binae tamen ſtriae coaleſcere videntur, argutas & in aciem extenuatas, finem verſus ſenſim lateſcentes, & craſſiores, magis prominentes, in aqua fluitantes, extra illam

(*h*) Vid. *Progr. noſtr. cit.* §. II. & MORGAGN. *epiſt. cit.* §. 14.

(*i*) In multis animalibus, inprimis in illis, quorum lens cryſtallina ad figuram ſphaericam propius accedit, ſtatim ab origine in plicas maiores, in aqua fluitantes, augentur. In piſcibus autem vix apparent. Vid. *Progr. noſtr. cit.* §. II. & *Comment. Reg. Soc. Scient. Gotting. Tom.* IV. *Obſeruat. de differentia inter fabricam oculi humani & brutorum.*

iam collapſas, quae, inſpiciendo per humorem vitreum nondum depoſitum, exceptae ſulcis coronae ciliaris ſibi reſpondentibus, erectae & eleuatae conſpiciuntur. Sic proceſſus illi ciliares ſemper in itinere increſcentes componunt partem corporis ciliaris magis extantem, & humori cryſtallino propiorem, & eo in loco iridis limbo, ſe ad corneae ambitum alliganti, frenulo quodam membranoſo & vaſculis hinc & inde tranſeuntibus aliqua ex parte a tergo ſunt annexi, ex quo coniunctionis angulo lineae rectae per faciem iridis poſteriorem verſus pupillam contendentes producuntur (*k*). Extrema tamen proceſſuum ciliarium, humori cryſtallino proxima, ab iride disiuncta & libera (*l*), retrorſum paulum inclinata, in oculo, cuius humores nondum ſunt depoſiti, ſuper humorem vitreum, ſulcis coronae ciliaris excepta, ad lentem eiusque conuexitatem vsque anteriorem progrediuntur, ſenſim magis conuergentia; humore autem vitreo cum lente remoto; in corollae, ex plurimis filamentis candidiſſimis conſtantis, formam diſpoſita, in aqua egregie fluitant, nulla membranula inter ſeſe iuncta, adeo extra faciem iridis poſteriorem prominentia, vt ſine laceratione vlla attolli, & huc & illuc volui & reuolui poſſint (*m*). Etſi autem non negauerim, proceſſuum ciliarium partem, quae ab iride disiuncta lentem verſus fertur, eſſe ſatis breuem, vt vix dimidiam lineam ſuperare videatur; ipſa tamen illa extrema, libera, camera poſteriori humoris aquei ab iride ſeiuncta, ad lentem non ſolum pertingunt, ſed etiam vltra eius circu-

(*k*) Monendum hic eſſe videtur, RVYSCHIVM ad deſignandas illas lineas per faciem poſteriorem iridis decurrentes fere ſemper vocabulo proceſſuum ciliarium vſum fuiſſe.

(*l*) Optime iam monuit WEITBRECHT. *Comment. Petrop. Tom.* XIII. *p.* 352. corpus ciliare dici vix poſſe faciem poſteriorem iridis, ſed a proceſſibus ciliaribus componi annulum maiorem ipſi choroidi ab orbiculo ciliari continuatum, qui iridis annulum minorem concentricum ſinu ſuo comprehendit.

(*m*) Vid. MORGAGN. *epiſt. anat.* XVII. §. 15.

circulum maximum progreſſa, & conuexitati eius anteriori incumbentia, ſine pendulo, libero, integro, aut leuiſſime bifido, fere triangulari, nec vnquam in tenuiora capillamenta diuiſo, ita terminantur, vt omnes ſimul tenuem annularem Zonulam conſtituant, quae non adeo paruam partem conuexitatis anterioris lentis a tergo contiguam ſibi habet (*n*).

Haec fere ſunt, quae nudo oculo circa proceſſus ciliares docemur. Si autem lente, quae obiecta non adeo multum auget, illos examinemus, plura occurrunt attentione digna, antea nobis ignota. Etſi vel nudo oculo, examine attentiori, binae interdum ſtriae in ſingulas plicas confluere videantur, microſcopium tamen manifeſtius & melius docet, omnibus proceſſibus ciliaribus eandem fabricam eſſe communem, vt plicae albae fluitantes multiplici origine oriantur, ſi, abſterſo humore nigro, in choroide in aquam iniecta, illos adſpiciamus. Vbi enim corporis ciliaris annulus poſterior, colore vniformi fuſco praeditus, leuiter ſtriatus in annulum illius corporis anteriorem plicatum mutari nunc incipit, ad conſtituendas ſingulas plicas maiores plures ſemper, duae, tres, quatuorue radiculae pallidae ſiue plicae

(*n*) In eo ergo peccant omnes fere figurae & deſcriptiones, quod proceſſus ciliares ipſi margini lentis inſertos pingant & doceant. Vid. fig. PETITI, TAYLORI, HEISTERI, CATTI & aliorum. HEISTERVS autem *diſſ. cit.* §. XII. & CAMPERVS *diſſ. de quibusdam oculi partibus* C. II. §. V. C. III. *quaeſt.* 4. *n.* 3. ne ipſam quidem lentem attingere, ſed circa eius ambitum in tunicam humoris vitrei inſeri eos tradunt. Ipſe tamen PETITVS in deſcriptione plicas corporis ciliaris ſuper anteriorem partem lentis produci affirmat. *Mem. Ac. R. Sc.* 1730. *p.* 438. vti CASSEBOHMIVS *libr. ſaepe cit. p.* 325. apices proceſſuum ciliarium faciei anteriori lentis incumbere tradit, & SHARP proceſſus ciliares in faciem anteriorem lentis inſertos pingit *Treatiſe on the operations of Surgery. Tab.* X. *f.* D.

cae tenuiores conueniunt, quarum laterales tenuiores ex ipſis valleculis emergentes ad mediam maiorem accedunt, & in vnum demum proceſſum ciliarem vniuntur (*o*); & tantum ſane abeſt, vt ſingulae ſtriae in ſingulas plicas maiores abeant, vt plures ſemper ſtriae in vnicum proceſſum ciliarem coniungantur. Eodem modo in fine anteriori ſaepe ſinguli proceſſus iterum in extremitates binas diduci, & extremo bifido terminari videntur (*p*). Praeterea optime apparet, proceſſus omnes non eſſe eiusdem magnitudinis, ſed maioribus & longius extantibus minores & breuiores eſſe intermiſtos, id quod alterno fere ordine contingere frequentiſſime videre me memini, prouti plures aut pauciores radiculae ad conſtituendos ſingulos proceſſus conueniunt. Quum ergo ſaepe breuiores & tenuiores plicae longioribus interpoſitae illis fere obtegantur, inprimis ſi, corpore ciliari ex aqua exemto, plicae collapſae fuerint; mirum non eſt, de certo proceſſuum numero Anatomicos non omnino inter ſeſe conuenire, etſi facile concedam, naturam certae legi circa numerum eorum ſeſe adſtringere noluiſſe. Sic EVSTACHIVS (*q*) ſeptuaginta circiter, et VERLE (*r*) octoginta tam fibras quam ſemifibras numerauit, RVYSCHIVS (*ſ*) & in oculo vitulino & humano vltra nonaginta, PALVCCI (*t*) quadraginta quatuor icone propoſuerunt. Ex iteratis meis experimentis elicio, ſeptuaginta circiter, plerumque paulo plures, in oculo humano reperiri, ſi, qui ſponte in oculum incurrunt, numerare tantum velimus. Omne autem corpus ciliare, tam in interuallis ſiue valleculis, quam in ipſa omni ſuperficie plicarum, leuiter rugoſum apparet, quae rugae opere reticulato in areas quadrangulares fictae vndique

(*o*) Vid. *Tab.* II. *fig.* 2.

(*p*) Conf. MORGAGN. *epiſt. cit.* §. II. & *fig. noſtr. mod. cit.*

(*q*) *Tab. anat.* 40. f. 6. 9. 11.

(*r*) *Anat. artif. oculi. Fig.* 10. & 12.

(*ſ*) *Theſ. anat.* II. *T.* I. *f.* 4. & 7.

(*t*) *Libr. cit. T.* II. *f.* 1. 2.

que villos ſiue flocculos tenuiſſimos, albos, fluitantes emittunt. Nunquam tamen reticulum vaſculoſum, ex areolis quadrangulis compoſitum, vaſculis proceſſuum ciliarium inſtratum eſſe vidi, quae vaſcula parallela, vti ſuperius iam monui, nuda plane procedunt, etſi in eodem oculo, vnde reticuli vaſculoſi choroidis icon deſumta fuit, in fabricam proceſſuum inquiſiuerim. Flocculi proceſſuum, qui ſatis facile oleo terebinthinae repleri poſſunt, in valleculis longiores, in dorſo eminenti plicarum breuiores eſſe videntur (*u*). In boue aliisque animalibus maioribus rugae multo manifeſtiores, & villoſiores, in quadrangulares areolas eleganter diſpoſitae, oculo ſe ſiſtunt (*x*).

§. V.

Num proceſſus ciliares ex fibris muſculoſis ſint compoſiti?

Priusquam ad deſcriptionem fabricae, qualem artificium anatomicum, vaſculis materia ceracea repletis, exhibet, accedamus, quaeſtio diſcutienda mihi eſſe videtur, num muſculoſae fibrae in proceſſibus ciliaribus adeſſe videantur. Notum autem eſt, a KEPLERO inde, poſt CARTESIVM, WILLISIVM, BRIGGSIVM omnes fere Anatomicos, quicunque ſitum aut figuram lentis ope proceſſuum ciliarium mutari poſſe crediderunt, fabricam muſculoſam in illis agnouiſſe (*y*), etſi plurimi fibras muſculoſas, ex theoria potius,

(*u*) Vid. *ſupra. Sect.* I. *de choroide* §. VI. VII. & *epiſt. de vaſis ſubtilioribus oculi. pag.* 18. Eosdem villos confirmat Ill. HALLERVS *deſcr. art. oculi. p.* 48.

(*x*) HEISTERVS non ſolum in boue proceſſus ciliares villoſos eſſe vidit, ſed etiam in homine aliquatenus illud patere monuit. *diſſ. de choroid.* §. XIII. *not.* b. In oculo bubulo fabricam illam villoſam expreſſit HOVIVS. *lib. cit. T.* II. *f.* 4.

(*y*) Vid. *ſup.* §. I. vbi quosdam huius ſententiae aſſeclas adduximus.

potius, quam propriis obſeruationibus deduxiſſe videantur. Plurimi nempe tradunt, ex orbiculo ciliari, tanquam ex puncto fixo, oriri fibras muſculares, membranula inter ſe connexas, quae ſuper humoris vitrei faciem anteriorem ad lentem ferantur (z). Neque tamen deſunt, qui ipſas illas fibras in corpore ciliari ſibi viſas fuiſſe affirmant (a), cum interim WINSLOWVS nonniſi timidus de fabricá muſculoſa pronunciet, & optime moneat, alios tantum credidiſſe, fibras muſculoſas ſibi obſeruatas fuiſſe, ita vt ipſe dubitationi locum relinquere videatur (b). Cui merito iungimus Ill. HALLERVM, qui nonniſi dubius pro candore ſuo in prioribus libris de fabrica muſculoſa corporis ciliaris locutus (c), in nouiſſima deſcriptione proceſſuum ciliarium nullam plane fibrarum muſcularium mentionem facit (d). Neque ipſe vnquam, etſi microſcopio, obiecta maxime augente, in fibras illas muſculoſas inquiſiuerim, vel vnicam fibram muſcularem reperire potui, quae vix tamen, quam pallidae ſint, oculo armato omnino ſubducere ſe poſſe videntur. Difficiles ſumus in agnoſcenda fabrica muſculoſa aliarum partium corporis humani, vbi microſcopii ope nullas fibras muſculares reperire poſſumus, & eandem ob cauſſam merito negamus fibras orbiculares muſculares iridis; cur hic muſcu-

los

ximus. Conf. praeterea *Comm. Boerh. T.* IV. §. DXXII. *not.* c. vbi Ill. HALLERVS hiſtoriam vſus proceſſuum ciliarium tradit, & PLATNER. *progr. de motu ligamenti ciliaris, in Tomo* II. *opuſc. n.* XIV.

(z) Vid. BOERHAAVIVM, PLATNERVM, LOBÉ. *loc. ſup. cit.*

(a) v. g. LOBÉ. *diſſ. cit.* §. 47. HEVERMANN *Phyſiol. T.* II. §. 738. Quin iam olim CASP. HOFMANN *Apolog. pro* GALENO *L.* 2. *Sect.* 4. *c.* 232. & recentiori tempore SANTORINI *Obſeruat. Anat. C.* IV. *n.* 4. & MORGAGNIVS *Aduerſ. Anat.* VI. *Animadu.* 70. *Epiſt. anat.* XVII. §. 16. XVIII. §. 19. ipſam capſulam lentis pro tendinea expanſione proceſſuum ciliarium fere habuiſſe videntur.

(b) *Tr. de la tete.* §. 222. Sed omnino nihil tribuit fibris illis muſculoſis nulli certa fide viſis *Mem. Ac. R. Sc.* 1721. *p.* 318.

(c) *Prim. lin. Phyſ.* §. DXVI.

(d) *Deſcr. arter. oculi. p.* 48.

los fingamus, vbi microſcopium illos renuit (*e*)? Et multum certe hic facit exemplum iridis, quum & ſumma, quae inter vtramque partem intercedit, fabricae affinitas, & alterius in alteram continuatio, in eo fere conſentiant, fabricam muſculoſam in proceſſibus ciliaribus adgnoſci non debere, ſi in iride non reperiatur. Optimo autem iure argumentum ab iride ad corpus ciliare transferri poſſe videtur, quum alii ex eadem ratione fibras muſculares in corpore ciliari aſſerere velint, quod in iride fibras muſculares ſe deprehendiſſe crediderint (*f*). Sed neque ipſa theoria fabricam muſculoſam requirere videtur, vt alibi iam oſtendi, & inferius pluribus patebit. Si demum iniectio ex voto ſuccedat, tanta in proceſſibus ciliaribus copia vaſorum apparet, quae ex choroidis facie interna illos adeunt, vt ad eorum ſententiam accedere non dubitem, qui cum HOVIO illos vnice eſſe ex vaſculis compoſitos affirmant.

§. VI.

Fabrica proceſſuum ciliarium in oculo, cuius vaſcula cera ſunt repleta.

Poſt illos enim ſuperius dictos, qui proceſſus ciliares vnice pro vaſculis lentem nutrientibus habuerunt, HOVIVS primus vaſcula, quibus proceſſus ciliares conſtant, tam arterioſa (*g*) quam venoſa (*h*), ope microſcopii aucta, ſatis commode depinxit, etſi obſeruationes noſtrae non parum ab illa fabrica differant, & diuerſum plane vaſculorum decurſum, ac figurae illius exhibent, in oculo humano nos doceant.

(*e*) Sic MORGAGNIVS fibras annulares iridis negat, *Adu. Anat.* VI. *Animad.* 69. *Epiſt.* XVII. §. 9. ſed fabricam muſculoſam corporis ciliaris admittere videtur. *ibid.* §. 16.

(*f*) Vid. MORG. *Adu. Anat.* VI. *Animadu.* L. XX. Conf. quae iam diximus in *Progr. de ligamentis ciliaribus.* §. X.

(*g*) *T.* 3. *f.* 1. 2.

(*h*) *Tab.* 5. *f.* 2.

ceant; minime autem placet, quod vaſcula illa ex circulo vueae deduxerit; vnde recentiori quoque tempore BERTRANDVS illa deriuat (*i*). Propius certe ad naturae normam accedit deſcriptio RVYSCHII (*k*), qui ea vaſcula recte a Ruyſchianae ſuae vaſculis deduxit, icone autem duos trunculos maiores parallelos, & in fine arcu facto inter ſe vnitos, cum vaſculis tenerioribus transuerſis bene delineavit (*l*). PETITVS (*m*) & FERREIN (*n*) vaſcula proceſſuum ciliarium, ſibi viſa breuiter tantum attigerunt; WINSLOWVS (*o*) autem intra duplicaturam plicarum reticulum vaſorum ſubtiliſſimum obſeruatum ſibi fuiſſe tradit, & CASSEBOHMIVS (*) proceſſus ciliares ex vaſculis ſubtiliſſimis, quae non niſi lente obſeruari poſſunt, conflatos eſſe docet. Ill. HALLERVS (*p*) vaſa demum in fetu feliciſſime repleta minorum quidem generum, craſſiuſcula tamen, copioſiſſima, a choroide retro vueam, non ex vno circulo, orta eſſe obſeruauit (*q*), quae & ipſe ſaepe in fetu ſanguinea videre mihi contigit. Excitatus autem inprimis fabrica pulcherrima choroidis, eo maiori ſtudio & attentione indagandam mihi ſumſi naturam proceſſuum ciliarium, verae nempe propaginis choroidis, quos in oculo, cuius vaſa optime materia ceracea erant repleta, accuratiori examini ſubieci, vſus cryſtallo, quae obiecta maxime aucta oſtendebat.

Superius monui, in facie choroidis interna apparere arteriolas innumeras, rectas, parallelas, denſiſſime ſibi appoſitas,

(*i*) Vid. Ill. HALLERI *deſcr. arter. oculi. p.* 48.

(*k*) *Theſ.* III. *n.* 51.

(*l*) *Epiſt. problem.* XIII. *reſponſ. adiect. Tab.* XVI. *f.* 14.

(*m*) *Mem. Ac. Sc. Par.* 1730.

(*n*) *Ibid.* 1741. *p.* 379.

(*o*) *Tr. de la tete.* *§.* 221.

(*) *Libr. cit. p.* 325.

(*p*) *Comment. Boerh. T.* IV. §. DXXII. *not.* a.

(*q*) Plura de illis vaſculis dixit in *deſcr. arter. oculi p.* 48. vbi inprimis illa eſſe propagines arteriarum ciliarium poſteriorum docuit.

poſitas, quae, propagines arteriarum ciliarium poſteriorum, ad proceſſus ciliares demum abeunt, quorum origini nunc proximae, nullo reticulo ſuperius deſcripto tectae, nudae plane incedunt *(r)*. Plurimae illae arteriolae in facie interna antrorſum delatae pulcherrime producuntur in plicas proceſſuum ciliarium, vltra viginti ſaepe ad ſingulas plicas, in quarum ſuperficie decurrentes ſenſim ab itinere parallelo deflectunt, &, ſerpentino ductu miris flexionibus inter ſeſe intortae, procurrunt, vbi plurimis ramulis, quos vbique emittunt, transuerſim decurrentibus inter ſe coniunguntur, qui itidem ramuli aliis minoribus ſibi inuicem ita intertexuntur, vt pulcherrimum rete efficiant. Ipſi tamen trunculi, repetitis anaſtomoſibus inter ſe iuncti, verſus apicem plicae fine extremo ſubito conflexi ſui ſimilibus occurrunt, illisque arcu facto ita iunguntur, vt, quae in margine eminente & fluitante plicae accedunt, anaſtomoſi facta, cum ſui ſimilibus coëant, quae ad radicem plicae in valleculis inter plicas intercedentibus ad proceſſus ciliares pertingunt. Inprimis autem vaſculum reliquis paulo maius ſemper incedit in margine eminente cuiuslibet plicae, & in dorſo illius ad vltimam vsque eius extremitatem, lentis faciei anteriori innatantem, procedit, vbi demum arcu facto, alteri *(s)* vaſculo per valleculam accedenti, vnitur. Fabricam illam pulcherrimam ſiſtit icon, ab optimo artifice ope microſcopii plurimum augentis facta, vbi tres eiusmodi plicae vaſculoſae delineantur *(t)*. Villorum ex plicis exeuntium rationem

(*r*) Vid. ſupra *de chorioide.* §. VII.

(*s*) Eandem fere deſcriptionem iam dedi in *epiſt. de vaſis oculi ſubtilioribus. p.* 17.

(*t*) Vid. *T. noſtr.* II. *f.* 3. HOVII ergo *T.* III, *fig.* 1. & 2. quae truncum, & ex illo orta innumera fere vaſcula, ſerpentina, transuerſim incedentia exhibet, quantum a noſtra differat, facile patet, & propius forte ad fabricam in animale obſeruatam accedit, vti ipſe de figuris 4. & 5. ad oculum caninum factis fatetur.

nem non habuimus, ne pulcherrima fabrica inde obſcurior redderetur. Venoſas propagines a vaſis vorticoſis ad proceſſus ciliares abire ſaepe quidem obſeruaui. Num autem ſimilem plexum elegantiſſimum ibi conſtituant, propriis obſeruationibus deſtitutus affirmare certe nequeo (*u*).

§. VII.

Connexio proceſſuum ciliarium cum partibus vicinis.

Quum ergo ex iis, quae modo dicta ſunt, pateat, in proceſſibus ciliaribus eandem obtinere fabricam vnice vaſculoſam, omni fibra muſculari expertem, qua choroides gaudet, & ex hac in illos recto itinere vaſcula ſine vllo circulo intermedio produci; optime inde elici poſſe videtur, proceſſus ciliares nihil aliud eſſe niſi ipſas plicas choroidis, vti aliquoties iam innuimus. Choroides nempe, paulo retro illum locum, vbi in exteriori facie annulo albo celluloſo ſub nomine orbiculi ciliaris ſenſim obducitur, in facie interna incipit contrahi primum in ſtrias vix eminentes & conſpicuas, quae ipſae demum in plicas latiores fluitantes & eminentes abeunt (*x*), quae quidem fabrica a priori fere neceſſaria videtur. Vbi enim choroides ſub orbiculo ciliari relicta ſclerotica, introrſum ſenſim ſecedit, fieri vix poſſe videtur, quin illa choroidis pars, quae oculi circulum maximum intus ſuccingit, ad circumueſtiendum lentis cryſtallinae marginem, circulum nempe circulo maximo oculi tanto minorem, in ſpatium multo minus redigenda, ſenſim in

(*u*) HOVIVS eiusmodi reticulum venoſum in plica proceſſuum ciliarium exhibet. *T. 5. f. 2.*

(*x*) Initia proceſſuum ciliarium retrorſum magis extendi, quam orbiculus ciliaris iam obſeruarunt MORGAGNIVS in *epiſt. cit.* §. 16. & Ill. HALLERVS *Comm. Boerh. T.* IV. §. DXXII. *not.* a. vt inde pateat, illos certe minus vera docuiſſe, qui eorum originem ab orbiculo ciliari deducunt.

in ipſo itinere contrahatur in plicas eo maiores magisque eminentes, quo propius ad lentis marginem circulum nempe minorem accedit. Illam autem duplicaturam choroidis in corpuſcula eminentia proceſſuum ciliarium plicatae ingreditur celluloſa alba, tenuiſſima, ſimili fere fabrica, quam in valuulis inteſtinorum tenuium, ex plicata ampliori tunica villoſa factis, anatomicorum induſtria detexit (y). Interna haec ſic ſtriata & plicata choroidis facies incumbit parti anteriori humoris vitrei, ita tamen, vt praeter pigmentum nigrum membranula peculiaris vtrique parti ſit interpoſita. Vbi nempe annulus ex humore atro conflatus, qui in humore vitreo depoſito lentem tanquam corona cingit, ſubtiliſſimo penicillo a facie anteriori humoris vitrei, cui adhaeret, abſterſus fuerit, vt omnia pura relinquantur; tunc accuratiori examine reperitur membranula aut zonula annulo nigro antea plane tecta, quae ab anteriori parte humoris vitrei tunicae orta, inter illam & pigmentum nigrum corporis ciliaris progreditur, & conuexitati demum anteriori capſulae lentis vltra circulum maximum immittitur, quam zonulam laxiorem plurimae fibrillae breuiores, fortiores, pectinatim diſpoſitae, ab humore vitreo ad lentem excurrentes, per interualla ſtringunt. Haec nempe eſt corona ciliaris alio in loco iam mihi dicta, ab annulo illo nigro diverſiſſima (z), cuius coronae fuſiorem deſcriptionem inferius dabo. Coronae ergo huic ciliari corpus ciliare ope glutinis tenacis potius, quam vera celluloſitate ita agglutinatur, vt quaeuis plica corporis ciliaris recipiatur ſulco coronae ciliaris, facto a fibris illis breuioribus zonulam illam ſtrin-

(y) Vid. Ill. HALLERI *Prim. lin. Phyſiol.* §. DCCV.

(z) Vid. *Progr. de ligamentis ciliaribus.* §. IV. V. CAMPERVS, a quo huius partis appellationem recepi, non ſatis accurate Zonulam nobis dictam ab annulo nigri muci diſtinguere videtur. *Diſſ. de quibusdam oculi partibus. cap.* II. §. VI.

ſtringentibus, cum interſtitia inter fibras illas relicta intervallis plicarum congruere videantur. Connexio illa corporis ciliaris cum corona ciliari ſatis accurata eſt, vt; niſi cultro anatomico vtramque partem ſepares, facilius particula corporis ciliaris a reliqua ſubſtantia diuellatur, quam corpus ciliare a corona ciliari abſcedat (*a*); etſi in oculo aliquot dies poſt mortem diſſecto facillime ſola leni tractione auferri poſſit, & humor vitreus ſponte ſecedat, & cum lente per diſciſſas tunicas erumpat. Illa tamen adhaeſio non ad lentem vsque pertingit, ſed breuiſſima proceſſuum ciliarium extrema lenti nunc proxima libere coronae ciliari incumbere, & cum ea ad lentis vsque conuexitatem anteriorem progredi videntur.

In primis autem quaeſtio diſcutienda hic eſſe videtur, num proceſſus ciliares in capſulam lentis inſerantur? Inter omnes autem Anatomici ab ipſo inde GALENO opinio iam inualuit, proceſſus ciliares in capſulam lentis ſeſe immittere, illique firmiſſime eſſe annexos, vt, de theoria huius partis neceſſaria ſibi viſa firmiſſime perſuaſi, de inſertione corporis ciliaris dubitare ne illis quidem in mentem venerit. Etſi autem alii muſculoſam fabricam negauerint, proceſſus tamen ciliares fibras ex choroide ad lentem miſſas dixerunt. Inter recentiores demum vix vnus & alter eſt, qui a communi ſententia recedere auſus fuerit. Sic poſt HEISTERVM (*b*) noſtro

(*a*) Fortiſſima hac adhaeſione explicari poſſe videtur, quomodo interdum in oculo recenti contingat, vt lens cryſtallina in ſitu ſuo maneat, corpori ciliari in omni ambitu iuncta, etſi humor vitreus plane ablatus fuerit, ita vt ipſi proceſſus ciliares in capſulam inſeri fere videantur. Corona enim ciliaris prope originem ſuam a tunica vitrea diuulſa intermedium praebet vinculum, quo capſula lentis cum corpore ciliari firmiſſimo nexu coniungitur, etſi proceſſus ciliares capſulae non innaſcantur.

(*b*) *Diſſert. de choroidea.* §. XII. XIII.

noſtro tempore CAMPERVS (*c*) proceſſus ciliares in capſulam lentis inſeri negat, illosque vnice in tunicam humoris vitrei ad aliquam a lente diſtantiam implantari, nec ipſam lentem contingere affirmat, & CASSEBOHMIVS (*d*) extrema anteriora proceſſuum ciliarium libera eſſe, & lenti circumpoſita, diſerte aſſerit (*e*). Ipſe quidem in ſchediasmate aliquot iam abhinc annis edito experimentis repetitis euincere allaboraui, extrema proceſſuum ciliarium coronae quidem ciliari iuncta ipſi tamen capſulae lentis libere incumbere, nec vllo vinculo immediate illi adnecti (*f*); cui ſententiae non parum ponderis accedit ex teſtimonio grauiſſimo Ill. HALLERI, qui in recentiſſimo libro proceſſus ciliares vitreo humori innitentia, lentem potius attingere quam lenti innaſci tradidit (*g*). Nec plurimae ab eo tempore factae obſeruationes animum mutare me ſinunt, ſemper enim mihi contigit videre, cum cornea pellucida remota iridem transuerſim diſciſſam & volſella arreptam parum eleuarem & cautiſſime reclinarem, breuiſſima illa proceſſuum ciliarium extrema, lenti incumbentia, iridem ſic parum ſublatam, facillime ſtatim ſemper ſequi, ſine vllo connexionis cum lente indicio, nec illam vnquam tam lente tam parum poſſe eleuari & detrahi, quin illa extrema ſtatim a lentis capſula disiuncta ſecedant, etſi reliqua pars poſterior coronae ciliari firmiſſime ſemper agglutinata maneat. Si autem alia praeparatione, ablatis tunicis oculi haemiſphaerii ſuperioris ad orbiculum ciliarem vsque, per humorem vitreum in ſitu naturali ſuperſtitem transſpicien-

(*c*) *Diſſ. cit. cap.* II. §. V. *cap.* III. *quaeſt.* 4. *n.* 3.

(*d*) *Libr. cit. p.* 325.

(*e*) MORGAGNIVS, etſi alibi de inſertione corporis ciliaris in capſulam lentis non dubitare videatur, ipſe tamen fatetur, ſe in oculo bouillo congelato corpus ciliare ab humore cryſtallino ſolutum obſeruaſſe. *epiſt. cit* XVII. §. 19. Sed & ipſe WINSLOWVS vbique inſertionem proceſſuum in lentem ſilet.

(*f*) Vid. *Progr. de ligament. ciliar.* §. VII. VIII.

(*g*) *Deſcript. arter. oculi. p.* 48.

ſpiciendo, corpus ciliare intueamur, ipſa extrema alba proceſſuum ciliarium ad vtrumque latus lentis poſita, ſponte a lente disiuncta apparent, quum illi humorem vitreum, cui arctiſſime ſunt iuncti, latera oculi pondere ſuo extrorſum vrgentem ſequantur, & lentis marginem deſerant (*h*). Quae quidem experimenta tum in oculis humanis, quam primum poſt mortem fieri poterat, euulſis, ne initia putredinis aliquid forte turbarent, aut obiectionis anſam aliis forte praeberent; tum in oculis animalium maiorum & auium, iteratis vicibus inſtitui, & inprimis in oculis auium rem illam indagaui, quod BIDLOVS (*i*) in auibus motum lentis ope proceſſuum ciliarium ad oculum demonſtrari poſſe aſſerit.

Quae quum ita ſint, firmiſſime ſum perſuaſus, extrema proceſſuum ciliarium capſulae lentis libere incumbere, & in eius facie anteriori paulo vltra circulum lentis maximum fine pendulo ſic terminari, vt lentis capſulae anteriori convexitati quidem contigua, ne vnica tamen fibra, aut vllo vinculo capſulae lentis adnectantur.

Accedamus nunc ad deſcriptionem iridis, alteram choroidis propaginem.

(*h*) Vid. *ſupra. Sect.* I. *de choroid.* §. III. *not.* b. & *Tab. noſtr.* II. *fig.* 1.

(*i*) *Obſeru. Phyſic. Anat. de ocul. & viſu animal. varior. p.* 30.

CA-

CAPVT. II.
DE
TVNICA CHORIOIDE
SECTIO III.
DE IRIDE.
§. I.
Hiſtoria iridis.

Iridis vocabulum iam extat apud antiquum & ſatis vtilem auctorem RVFVM EPHESIVM (*a*), qui veram, licet non adeo plenam, illius dedit definitionem, vbi diſerte tradit, *quod inter pupillam & album interiacet, iridem eſſe; ſic vtique, quod colore euariet, nominatum.* Poſt hanc ſatis claram definitionem GALENVS (*b*) certe noua huius partis deſcriptione parum laudis meruit, qui iridem copulam tunicarum oculi & coronam eſſe dicit, conflatam ex ſeptem circulis, veram autem iridem ſub nomine *tunicae coeruleae* propoſuit. Etſi autem poſt illum meliora docuiſſe videatur POLLVX (*c*), ſecundum quem oculorum media pars pupilla, ambiens autem hanc circulus vel linea circularis, iris dicitur; ſatis infauſto tamen omine INGRASSIAS (*d*) & CASSERIVS (*e*) definitionem GALENI in libros ſuos transferentes eam tunicae coeruleae tribuerunt (*f*). VESALIVS

(*a*) *Appellat. part. corp. hum.* L. I. c. 5.

(*b*) *De vſu part.* L. X. c. III.

(*c*) *Onomaſt.* L. II.

(*d*) *Lib. de tumoribus.* p. 293.

(*e*) *Pentaiſth.* L. V. c. 28.

(*f*) Eo magis autem reprehenſionem merentur illi Auctores, quod plane

vs (*g*) quidem & FALLOPIVS (*h*) formationem huius partis ſatis bene docent, alio autem, ac nunc ſolemus, vocabulo eam ſignificant, quum vterque vueam ad oculi circulum, qui iris appellatur, a cornea ſecedere, & introrſum preſſam vario colore tingi, & in medio foramine nomine pupillae pertundi, affirmet, ita vt inprimis VESALIVS vueam, vbi anteriori parte variis coloribus tingitur, ab ipſa iride diſtinguere, vti VAROLIVS (*i*), ipſum colorem, qui ibi ab vuea reſultat, iridis nomine deſignare videatur. Veſalianam autem & Fallopianam doctrinam de origine iridis, omnes, quicunque ſunt ſecuti, Anatomici ita receperunt, vt, invecta iterum RVFFI appellatione, iridem eam partem vueae aut choroidis dicerent, quae ad originem corneae pellucidae a ſclerotica ſecedit, & annulum in medio perforatum, variisque coloribus fulgentem, exhibet, inter quos COLVMBVM (*k*), VESLINGIVM (*l*), FABRICIVM (*m*), ex antiquioribus memorare ſufficiat. RIOLANVS (*n*) vero iam monuit, ambitum pupillae ſibi diſtinctam videri membranam ab vuea, cum habeat fibras peculiares & motum proprium. Nec quidquam fere hiſtoriae iridis ad recentiora vsque tempora additum eſt. Ante RVYSCHIVM tamen DRELINCVRTIVS (*o*) circulum interiorem iridis breuioribus radiis factum deſcribit. Artificio autem anatomico iniectionis ceraceae vſi inprimis HOVIVS & RVYSCHIVS in fabricam iridis inquirere coeperunt, quorum ille ex oculis brutorum & circulos vaſculoſos, & laminas duas pingit

plane appareat, ſi GALENI locum accuratius inſpiciamus, GALENVM nullibi eam membranam, quae ſedes eſt colorum, ex ſeptem circulis conflatam dixiſſe, ſed locum tantum, vbi ſeptem tunicae inter ſe iungantur, non bona licet appellatione, iridis vocabulo ſignificaſſe. *Vid. loc. cit. cap.* 2. 3.

(*g*) *De corp. humano fabr. p.* 803. 804.

(*h*) *Inſtit. anat. p.* 283. a.

(*i*) *Anatom. L.* I. *c.* 4.

(*k*) *De re anat. L.* X.

(*l*) *Synt. Anat. c.* 15.

(*m*) *De oculo. P.* 3. *c.* 6.

(*n*) *Anthropol. L.* IV. *c.* 4. *p.* 416.

(*o*) *Praelud. p.* 195. *op. omn.*

git & deſcribit (*p*); hic autem non ſolum in brutis ſed etiam in homine vaſcula minorum generum, eorumque circulos accuratius indagauit, illosque, vti fibras orbiculares & longitudinales, verbis & icone propoſuit (*q*), quem plurimi certe ex recentioribus ſunt ſecuti. BOERHAAVIVS (*r*) inuenta RVYSCHII in vſum ſuum optime conuertit. HEISTERVS (*s*) ex balaena aliisque animalibus maioribus fabricam iridis tradidit, & Ruyſchianam vbique ſententiam defendit.

WINSLOWVS inaequalitatem latitudinis primum obſeruauit & diſtantiam a lente, & figuram ſuperficiei examini ſubiecit (*t*). PETITVS (*u*) autem accuratiſſima diligentia ſitum & figuram iridis rimatus, ſubtilibus experimentis eam planam eſſe, & interuallo quodam a lente diſtare demonſtrauit. Inter Albinianos diſcipulos MOEHRING optimam iridis deſcriptionem dedit (*x*). MORGAGNI (*y*), qui nonnullas ſatis vtiles obſeruationes VALSALVAE circa iridem nobis ſeruauit, de fibris, ſitu, colore, & motu iridis vtiliſſima certe tradidit. FERREIN (*z*) vaſcula minorum generum iridis tanquam noua, quae ſola ratione hucusque fuiſſent oſtenſa, propoſuit. Ill. HALLERVS in prioribus libris vaſcula, ſitum, fabricam iridis vberius expoſuit, fibras orbiculares reiecit (*a*), & in nouiſſimo opere, membrana pupillari melius confirmata, accuratiſſima deſcriptione & deli-

(*p*) *Libr. ſaepe cit. T.* 2. *f.* 1. 3.

(*q*) *Epiſt. problem.* XIII. & *adi. Tab.* XVI. *f.* 13. 17. 18. *Theſ. Anat.* II. *Tab.* I. *f.* 4. 5. 6. 7.

(*r*) *Inſtit med. & Praelect. acad.* §. DXIX. DXX. DXXI.

(*s*) *Diſſ. cit. de choroidea.*

(*t*) *Mem. Ac. R. Scienc.* 1721. & *Tr. de la tete.* §. 220. 221.

(*u*) *Memoir.* 1723. 1728.

(*x*) *Diſſert. de viſu.* §. 24. 25.

(*y*) *Adu. Anat.* VI. *Animad.* 69. 70. *Epiſt. anat.* XVII. §. 4. 7. 8. 9. 10.

(*z*) *Mem. Ac. Sc. Par.* 1741.

(*a*) *Comment. Boerh T* IV. *not. ad* §. DXX. DXXI. & *Prim. lin. Phyſiol.* §. DVI.

delineatione vaſculorum & circulorum iridis immortalem ſibi peperit gloriam (*b*). Si mea addere liceat, in epiſtola ad Ill. WERLHOFIVM data, duas laminas iridis, villoſitatem laminae anterioris, veram ſedem colorum variorum mihi viſam, & circulum minorem iridis attigi.

§. II.

Iridis figura; ſitus; pupilla, iridis tergum pigmento nigro illitum.

Iris ergo eſt annulus membranaceus, in humore aqueo fluitans, qui corneam tanquam ſegmentum ſphaerae ſubtendit, in medio perforatus, quod foramen pupilla dicitur, cuius ſuperficies anterior varii coloris in varietate hominum a plurimis Anatomicis proprio nomine iris, poſterior autem, pigmento nigro obducta, vuea nominatur (*c*). Cum autem vueae vocabulum a multis noſtri aeui ſcriptoribus choroidi ipſi tribuatur; maioris perſpicuitatis gratia praeſtare credidi, MORGAGNIVM (*d*) ſecutus, ipſum illum annulum membranaceum, iridis, & ſuperficiem poſteriorem, iridis tergi vocabulo peculiari ſignificare.

Annulus ille membraneus, iris dictus, ſcleroticae annexus ad ambitum internum corneae circularem, & ope celluloſi orbiculi ciliaris & vaſculorum tranſeuntium chorioidi iunctus, primo quidem intuitu in medio perforatus eſſe videtur, quae ad recentiora quoque vsque tempora communis Anatomicorum ſententia fuerat. Si vero figuram iridis accuratius intueamur, optime apparet, non exacte de medio circulum, quod foramen *pupilla* dicitur, fuiſſe ablatum, ſed annulum verſus tempora eſſe latiorem, ad naſum anguſtiorem,

(*b*) *Deſcr. arter. oculi in Faſcic. lin. phyſiolog.* §. DVI. VII. *icon. anat. & Tab. adi. f.* §. 6.

(*c*) Vid. Ill. HALLERI *prim.* (*d*) *Epiſt.* XVII. §. 6.

ſtiorem, vt rectarum fibrarum, ab externo ambitu pupillam verſus contendentium, multo longiores ſint illae, quae ab origine iridis tempora reſpiciente, quam quae a latere naſo propiori feruntur. Etſi autem inaequalitas illa latitudinis adeo conſpicua & clara ſit, vt ſtatim in oculos incurrat, ſi in viuo homine iridem intueamur; ante WINSLOWVM (*e*) tamen, qui primus illam animaduertit, nemini obſeruata fuiſſe videtur. Poſt illum plurimi nunc moniti Anatomici eandem ſibi viſam fuiſſe teſtantur, vti illius mentionem faciunt, Ill. HALLERVS (*f*), MOEHRING (*g*), HEVERMANN (*h*), & alii.

Ipſe tamen circulus in medio ablatus, pupilla dictus, in homine ſemper exacte rotundus mihi viſus fuit, etſi alterius figurae absque viſionis notabili noxa exempla non deſint (*i*). In animalibus autem pupilla a circulari figura abludit, quae maxime oblonga in ruminantribus, minus oblonga in felium genere, ſi dilatata fuerit, & in luce in anguſtiſſimam rimam contrahitur.

Qualis ſit huius annuli ſuperficies, num conuexa, num plana, recentiori aeuo inprimis inter Anatomicos fuit diſputatum

(*e*) Primum illam propoſuit in *Mem. Acad.* 1721. & repetiit. *Tr. de la tete.* §. 227. CASSERIVS tamen iam iridem ab altero latere anguſtiorem delineauit. *Pentaiſth. de oculo T.* V. *f.* 6. etſi nullam in explicatione eius inæqualitatis mentionem faciat. Quin ipſe iam EVSTACHIVS inaequalitatem quandam latitudinis iridis expreſſit vti patet ex. *Tab.* 40. *f.* 6. & 8. &, VAROLIO illam notam fuiſſe, ex illius verbis, a MORGAGNIO allatis, coniici poſſe videtur. vid. *epiſt. cit.* §. 14.

(*f*) *Comment. Boerh.* T. IV. §. DXX *not.* a. *Prim. lin. Phyſiol.* §. DVI.

(*g*) *Diſſ. cit. p.* 41.

(*h*) *Phyſ. T.* II. §. 734.

(*i*) PLEMPIVS *L.* I. *c.* XI. *p.* 15. in matrona oualem vidit pupillam. Aliud exemplum citat Ill. HALLERVS *loc. modo cit.* ex *Act. Hafnienſ.* I. *Obſ.* 30.

tatum, quorum alii, vti WINSLOWVS poſt nonnullos ex antiquioribus, illam antrorſum conuexam; alii, vt PETITVS, illam in quadrupedibus quidem animantibus conuexam, at in hominibus planam, ſtatuerunt (*k*). Experimenta quidem PETITI, lubenter fateor, repetere non licuit. Cum autem vi congelationis, & ipſa exhalatione humoris aquei nonnulla intra oculum mutari ſatis videam, ipſa fabrica tenerrima iridis, ſumme flexilis & obſequioſa, quae in humore aqueo vbique aequalem inuenit reſiſtentiam, & pigmentum denique nigrum tergo iridis illitum, fere me adducit, vt cum PETITO planam eam eſſe cenſeam.

Duas oſtendit iris ſuperficies, quarum anterior variis coloribus fulgens, poſterior autem ſemper & in omnibus animalibus nigro pigmento obducta deprehenditur. In anteriori plurimae ſtriae magis minusue ſerpentinae, parallelae, aliae maiores aliae tenuiores apparent, quae ad minorem circulum conuergunt, ex obſcurioribus radiis factum, de quibus mox pluribus agemus. Superficies nempe anterior in duos iterum abit annulos; exteriorem latiorem, qui inprimis inaequalitatem latitudinis prodit, ex ſtriis maioribus, & magis conſpicuis factum, dilutioris ſemper coloris, qualiscunque etiam ille fuerit; & in alterum interiorem anguſtiorem, ex ſtriis breuioribus, rarioribus minusque conſpicuis conflatum, ſaturatioris ſemper coloris, in omni varietate iridis (*l*). Omnis illa ſuperficies in homine & in plurimis animalibus explanata & laeuis, in

(*k*) Hiſtoriam huius rei conſignauit PETITVS *l. c.* 1723. & MORGAGN. *epiſt. cit.* §. 18. Ill. HALLERVS in *Comment. Boerh. loc. cit.* iridem planam, in *primis lineis* autem *phyſiol. l. c.* paulum antrorſum conuexam dicit.

(*l*) In omnibus animalibus, quae iridem alio colore, ac nigro tinctam habent, quicunque color ille fuerit, annulum interiorem ſaturatiorem ſemper obſeruaui. Vid. *Comment. Soc. R. Sc. Gott. T.* IV. *de differentia fabricae inter oculum humanum, & brutorum.* Idem obſeruauit MORGAGNIVS *epiſt. cit.* §. 10. & Ill. HALLERVS *Prim. lin. Phyſ.* §. DVI.

in fele autem & lepore elegantiſſime ſtriata, & fere plicata eſt, vt, monente iam MORGAGNIO, in lepore floris radiati coronam ex plurimis petalis compoſitam aemulari fere videatur (*m*).

Poſterior iridis ſuperficies ſemper et in omnibus animalibus obducitur pigmento fuſco, craſſo, ſolidiuſculo, ad paſtae naturam magis accedente, vt in infantibus interdum leui agitatione in aqua annulus fere niger inde ſecedere mihi viſus fuerit, albo iridis tergo relicto, vti ſupra de corpore ciliari diximus (*n*). In adulto pertinacius quidem inhaeret, vt maceratione tamen inde detergi poſſit. Nigredine autem illa abſterſa, in iridis tergo apparent plurimi radii recti, verſus annulum minorem conuergentes, diuerſi omnino a ſtriis ſerpentinis faciei anterioris, qui ab vlteriori parte proceſſuum ciliarium, vbi illi iridis limbo, ſe ad corneae ambitum alliganti, a tergo ſunt annexi, ita oriuntur, vt ipſa ille corpuſcula aliqua ex parte per poſteriorem iridis faciem, recta via produci, & pupillam verſus pergere fere videantur (*o*). Radii autem maiores, vbi ad annulum minorem, ſiue zonulam, quae pupillam cingit, ventum eſt, ita diminuuntur, vt puram membranam ibi adſpicere videaris. Attentiori tamen examine radii obſcuriores, recti, ad pupillam conuergentes apparent, longiores tamen ac in anteriori iridis facie, qui annulum minorem in iridis tergo paulo latiorem reddunt (*p*). In boue & balaena (*q*) radii illi annuli maioris plicas potius eminentes quam radios referunt, vti quoque radii minoris circuli facilius in oculos incurrunt. De fabrica interiori harum partium paulo poſt fuſius

(*m*) Vid. *loc. modo cit.*

(*n*) *Sect. ſuper.* I. §. III.

(*o*) Vid. *epiſt. cit.* MORGAGNII §. 15.

(*p*) Conf. *Comment. Boerh. T.* IV. §. DXX. *not.* a. & RVYSCHII *Theſ. Anat.* II. *Tab.* I. *f.* 4. 7.

(*q*) Vide HEISTER *Diſſ. de choroid.* §. X.

fuſius dicam. Radios illos pictos iam a CASSERIO (*r*) poſt illum MAITREIEAN (*s*) & BRISSEAV (*t*) praeter plurimos alios dixerunt, multo autem magis innotuerunt in libris Anatomicorum, inde a tempore RVYSCHII, qui iridis faciem poſteriorem ſtriatam frequentius proceſſum ciliarem dixit, cuius tendines in circulum minorem inſerantur (*u*), iconem quoque illorum dedit tam ex oculo bubulo quam ex oculo humano (*x*); cui multum certe cedit figura BIDLOI (*y*), minus diſtincta, minusque accurate facta. Nec minus nitide eos ex humano oculo delineauit PALVCCI (*z*). Poſt RVYSCHIVM nullus fere eſt Anatomicorum, qui illorum mentionem non fecerit, inprimis quum ab omnibus fere pro fibris muſculoſis habiti, & ad explicandum pupillae motum ab illis in auxilium vocati fuerint. Et haec fere ſunt, quae nudo oculo, priusquam artificium anatomicum acceſſerit, in iride obſeruari poſſunt.

§. III.

Fabrica ſtriata iridis in oculo recenti.

Pulcherrimum autem oritur ſpectaculum, ſi iridis faciem anteriorem in oculo recenti lente, quae obiecta vel parum auget, accuratius inſpiciamus. In annulo enim maiori apparent fibrae innumerae, magis minusque albidae & gryſeae, aliae maiores, quae plerumque magis candidae, aliae minores & tenuiores, minusque diluti coloris, omnes parallelae, & denſiſſimo ordine ſibi appoſitae, vt plures recipere non poſſe videatur. Ab ipſo ergo ambitu exteriori iridis verſus annulum minorem conuergunt, ſerpentino flexu

(*r*) *Pentaiſth. L. 5. T. 5. fig.* 9.
(*s*) *Libr. cit. p.* 25.
(*t*) *Libr. cit. p.* 8.
(*u*) *Epiſt.* XIII. *p.* 12. *Theſ.* II. *Aſſ.* I. *n.* 15.
(*x*) *Theſ. cit. Aſſ.* I. *T.* I. *fig.* 4. 7.
(*y*) Vid. *Tab.* XI. *f.* 17.
(*z*) *Libr. cit. Tab.* II. *f.* 1. 2.

xu incedentes, eo maioribus flexionibus, quo iris anguſtior & pupilla amplior fuerit, eo minus flexae, magisque ad lineam rectam accedentes, quo pupilla minor & iris latior fuerit. Vbi autem ad Zonulam, quae pupillam proxime ambit, ſiue ad annulum minorem ventum eſt, fibrae maiores ſaepe in duos ramos abire videntur, qui ad angulum ſatis obtuſum diſcedunt, nonnulla vaſcula minora, binis maioribus interpoſita, praeterlegunt & decuſſant, vt ſubito inflexae fibris ſimilibus, quae itidem faſciculum fibrarum tenuiorum ſuperant, arcu fere facto, aut potius ad angulum acutum conuergentes, occurrant, & vniantur. Affirmare tamen non auſim, in omnibus fibris maiuſculis illud contingere, vt fine bifurcato in duos ramos abeant, ſed ſaepe ſingulae fibrae aut binae maiores ſibi proxime vicinae & parallelae dextrorſum aut ſiniſtrorſum ſuper vicinas tenuiores ad oram annuli minoris feruntur, & ſimplici trunco & indiuiſo ſui ſimilibus occurrunt (*a*). Fibrae autem tenuiores binis maioribus interpoſitae ſub trunculos maiores ad alterutrum latus deflexos ſe demergere & ex conſpectu ſubducere ſe videntur. Hic & illic autem inter fibras maiores & minores relinquitur interuallum ſaturatioris ſemper coloris, vbi fibrae conſpicuae deficiunt, niſi microſcopium, quod obiecta plurimum auget, adhibitum fuerit. Ex mutua ergo coniunctione trunculorum inter ſe ad angulos acutos coeuntium, & per arcus ſibi vnitorum formari videtur circulus ſerratus & flexuoſus, non tamen vndique continuus & clauſus, cum ſaepe binae fibrae vicinae, parallelae, ſpatio triangulari disiunctae a ſe inuicem ſecedant, quin interdum nonnullae ex fibris maiuſculis per annulum minorem pupillam verſus produci videantur (*b*). Ex ora illa ſerrata, quae

(*a*) Multum conueniunt, quae iam obſeruauit Cel. FERREIN. *Mem. Acad. R. Scienc.* 1741. *p.* 380.

(*b*) Fabrica haec pulcherrima vix ſatis verbis exprimi poſſe videtur, cuius iconem, quantum potui

quae circuli inſtar maiorem annulum terminat, & inprimis ex conuexitate arcuum, ex duobus trunculis inter ſe vnitis factorum, oriuntur plurimae fibrae, tenuiſſimae, parallelae fere, rectae, in radiorum modum verſus centrum pupillae conuergentes, rariores & ſaepe interuallo quodam inter ſe disiunctae, ſubtiliſſima celluloſitate inter ſe connexae, quae annulum interiorem foramine circulari pertuſum conſtituunt (*c*). Annulus ille minor, tenuior & ſubtilior, ſaturatioris ſemper coloris plica fere aut ruga flexuoſa ab annulo maiori disiunctus eſſe videtur, quod inprimis optime apparet in oculo in ſpiritu Vini ſeruato. Colores enim varii, quibus iris in viuo homine ſplendet, ſenſim euaneſcunt, & annulus maior inprimis in infantibus obductus apparet velo opaco, albo, eo craſſiori & opaciori, quo propius annulus maior ad minorem accedit, quo tectae fibrae obſcurius in conſpectum veniunt, vt decurſum vaſculorum, niſi ea probe ſint repleta, aegrius oculis perſequi & definire poſſis. Velum autem illud opacum ſubito ruga fere facta deſinit ad oram ſerratam, a trunculis maioribus per arcus iunctis factam, quae inter annulum maiorem & minorem accuratiſſimos limites ponit. Annulus autem minor, purus ſemper, nullo vnquam velo albo obductus apparet, ſed tenuiſſimam, aranea tela fere ſubtiliorem, & a pellucente per cellulosam tenerrimam humore atro tergi viridis, ſaturatiori colore tinctam Zonulam refert (*d*). Nunquam autem neque

potui, diligentiſſime ad naturae exemplar factam dedi *Tab.* III. *f.* 1. quae forte melius ſermonem meum illuſtrare poterit.

(*c*) RVYSCHIVS ex oculo balaenae eleganter expreſſit fabricam annuli maioris diuerſiſſimam a fabrica annuli minoris, qui in maiori delineat fibras copioſiſſimas, minores maioribus mixtas, omnes parallelas, vndulatas, & per arcus ſibi iunctas, minorem autem exhibet pallidiorem, tenuiſſimum, & fibris multo rarioribus compoſitum. *Theſ.* II. *Aſſ.* I. *T.* I. *f.* 6. Conf. deſcriptio iridis, quae extat in *Deſcription du Cabinet du Roi. Tom.* II. *p.* 190.

(*d*) CASSERIVS iam annulum illum minorem ſaturatioris coloris expreſſiſſe videtur *Pentaiſth. de oculo. T.* V. *f.* 6.

neque in oculis humanis, neque in oculis bubulis vidi fibras orbiculares, ſiue anteriorem ſiue poſteriorem faciem iridis examinauerim, quales MAITREJEAN (*e*) iam dictas RVYSCHIVS delineauit & deſcripſit (*f*), etſi ipſe dubius de illis loquatur (*g*), faſſus *fibras illas orbiculares non tam luculenter conſpici poſſe, quin oculi mentis in auxilium ſint vocandi*, & alibi moneat, *ſe tantum circulum eum minorem praeditum eſſe exiſtimare fibris orbicularibus* (*h*). A RVYSCHIO tamen plurimi, illum ſecuti, illas receperunt (*i*), quae in nouiſſimis adhuc libris vigent. Quicunque tamen nulla theoria occupati propriis oculis iridem accuratius examinarunt, in eo conſentiunt, nullas ſe vidiſſe fibras orbiculares, etſi neque macerationis neque microſcopii adiumenta negligerent, vti poſt MERYVM (*k*) & VALSALVAM (*l*) MORGAGNVS (*m*) & Ill. HALLERVS (*n*) diſerte tradunt, neque FERREIN (*o*), qui elegantem vaſorum iridem componentium diſpoſitionem & implicationem vidit, vllas in annuli modum circumductas adnotauit. Fibrae illae longitudinales iridis in oculo ſano ſiue hominis viui ſiue mortui, ſubalbidae apparent. Neque vnquam aut fibras ex veſiculis com-

(*e*) *Libr. cit. p.* 26.

(*f*) *Theſ.* II. *Tab.* I. *fig.* 5. *Reſp. ad epiſt. problem.* XIII. *Theſ.* II. *Aſſ.* 2. *n.* 7.

(*g*) *Epiſt. cit.*

(*h*) *Theſ.* II. *Aſſ.* 4. *n.* XI.

(*i*) Vide *Comment. Boerh. T.* IV. §. DXX. *not.* a, vbi Ill. Auctor nonnullos memorat, qui illas fibras orbiculares habent, quibus addi poſſunt SENNAC *Anat. d'Heiſter. p.* 692. & omnes fere Galli WINSLOWVM ſecuti, diſcipuli ALBINI LOBÉ, MOEHRING, HEVERMANN, CASSEBOHM *libr. cit. p.* 324. WEITBRECHT. *Comment. Petropol. T.* XIII. *p.* 350. ROB. WHYT *Eſſay on the vital and other inuoluntary motions of animals. p.* 109.

(*k*) *Mem. Ac. R. Sc. Par.* 1704.

(*l*) Teſte MORGAGNIO *ep.* XVII. §. 4.

(*m*) *Loc. cit.* §. 9. 10.

(*n*) *Comment. Boerh. loc. cit. Prim. lin. Phyſiol.* §. DVI.

(*o*) *Mem. Acad.* 1741. *p.* 379.

M

compoſitas VALSALVAE (*p*), aut vaſa lutea, continuata arteriis lymphaticis dicta BERTRANDO (*q*), obſeruaui, ſi aliquid a vaſis arterioſis ex circulo iridis exeuntibus diuerſum intelligatur. Oculi animalium fabrica cum oculo humano maxima ex parte conuenit, niſi quod ibi omnia ſint fortiora & craſſiora, ſic in oculis bubulis, ouillis, ſuillis, vlulae aliarumque auium eodem modo nunquam fibras orbiculares reperire potui, neque Ill. HALLERVM (*r*) neque MORGAGNIVM (*s*) feliciores me fuiſſe intelligo. Num autem in balaenae oculis demonſtrari poſſint, vbi HEISTERVS (*t*) ſeriem fibrarum annularium ad latitudinem duarum linearum adeſſe teſtatur, dicere non poſſum, cum nondum occaſio oculos balaenae diſſecandi mihi nata fuerit. Mirum tamen videtur, a RVYSCHIO in icone iridis balaenae, quae fibras minimas annuli maioris & minoris exprimit, ne veſtigium quidem fibrarum orbicularium adumbratum fuiſſe (*u*).

Fibras illas tam longitudinales quam orbiculares, quas ſibi finxerunt Anatomici, plurimi illorum muſculoſas eſſe crediderunt, DRELINCVRTIVM (*x*) & RVYSCHIVM (*y*) inprimis ſecuti, vt pauci deprehendantur, qui illas negare, aut de illis dubitare ſuſtinuerint. MORGAGNIVS tamen teſtatur, ſe, ne cryſtallo quidem adiutis oculis, fibras muſculoſas videre potuiſſe (*z*), vti poſt illum & DVVERNOI & WEITBRECHT (*a*) fibras carneas negare videntur, etſi alter

(*p*) *Epiſt. anat.* MORGAGN. XVII. §. 4.

(*q*) Quem citatum vide in Ill. HALLERI *deſcr. art. oculi. p.* 49.

(*r*) *Comment. Boerh. Tom.* IV. §. DXX. *not. a. Prim. lin. Phyſiol.* §. DVI.

(*s*) *Epiſt. cit.* §. 9. 10.

(*t*) *Diſſ. cit. de choroid.* §. X.

(*u*) *Theſ. anat.* II. *T.* I. *f.* 6.

(*x*) *Praelud. anat. opp. omn. p.* 195. vbi diſerte fibris carneis muſculum pupillarem formari ſcribit.

(*y*) *Reſponſ. ad epiſt. anat.* XIII. *Theſ.* II. *Aſſ.* I. *n.* 15.

(*z*) *Epiſt. cit.* §. 9.

(*a*) *Comment. Petropol. T.* XIII. *p.* 350.

alter fibras quaſdam orbiculares recipiat, & Cel. FERREIN (*b*) vnice fere vaſculis iridem eſſe compoſitam aſſerit, nulla ſubſtantiae muſculoſae mentione facta, quibus accedit Ill. HALLERVS (*c*), qui de muſculis iridis ita ſilet, vt dilatationem & conſtrictionem pupillae vnice debiliori aut fortiori adfluxu humorum in vaſa decolora iridis tribuat. Neque ipſe certe crediderim, fibras muſculares vnquam vllo microſcopio demonſtrari poſſe. Dum autem phaenomena, vaſcula, molem neruorum iridem adeuntium, eiusque analogiam cum aliis partibus corporis humani muſculoſis attentius conſidero, parum abeſt, quin ad credendum adducar, fibras muſculoſas reliquis vaſculis & neruulis in anteriori facie iridis intermiſtas eſſe.

§. IV.

Neruuli & vaſcula iridis.

Iris autem tela eſſe videtur conflata ex plurimis neruulis & vaſculis tam arterioſis quam venoſis, ope ſubtiliſſimae celluloſitatis inter ſe connexis. Neruuli nempe ſunt propagines neruulorum ciliarum, qui in ſurculos minimos tenerrimos ſub celluloſitate orbiculi ciliaris diuiduntur, & ad anteriorem iridis faciem excurrunt (*d*). Etſi autem ſurculos maiuſculos per aliquam itineris partem oculo & interdum ſcalpello quoque proſequi poſſis, poſt breue tamen ſpatium nimis molleſcentes aciem ſcalpelli omnino eludunt, & cum reliquis fibris exalbidis ita confunduntur, vt non amplius ab illis diſtingui poſſint. Neque microſcopium nos docet, quomodo terminentur. In homine plurimi certe exte-

(*b*) *Mem. Acad. Par.* 1741.

(*c*) *Comment. Boerh. loc. cit. not.* b. *Prim. lin. Phyſ.* §. DXV.

(*d*) In vlula in ipſa anteriori facie iridis obſeruaui trunculum nervi maiuſculum in plurimos ſurculos parallelos fere diuiſum.

exteriorem eamque latiorem iridis partem adeunt, & in animalibus quoque plures ad eandem partem excurrere memini.

Arteriolae plurimae quidem, ſemper tamen multo pauciores, quam vaſcula proceſſuum ciliarium, vti in eodem oculo optime apparet, omnes forte veniunt ex circulo maiori iridis, facto a duabus arteriolis ciliaribus longis ſingulis in duos ramos diuaricantibus, & accedentibus ciliaribus anterioribus; cuius, ſiti in ipſa origine iridis, inferius fuſiorem dabo deſcriptionem (*e*). Ex illo circulo iridis radiorum inſtar vaſcula plurima, alia maiora, alia minora, ſerpentina & flexuoſa verſus annulum minorem tendunt, & ſaepiſſime in medio itinere ramis transuerſis emiſſis inter ſe iunguntur (*f*). Plurimae tamen & inprimis maiuſculae ad ipſa confinia annuli maioris cum vicinis ita coeunt, vt fere ſemper binae inter ſe in arcum inoſculentur, & aliis transverſis ramis cum reliquis vniantur, quae certe fabrica optime cum vaſis meſentericis comparari poſſe videtur (*g*). Quae quidem factae per arcus & ramos transuerſos anaſtomoſes cum in omni ambitu iridis contingant, circulus fere inde formatur, quem vulgo minorem circulum iridis vocare ſolent (*h*). Certe tamen vidi circulum, illum non vndique

(*e*) Vid. interim. Ill. HALLERI illius deſcriptionem in *hiſtoria arter. oculi. p.* 46. & *icon. adi. fig.* 5. & *fig. noſtr.* 2. *Tab.* 4.

(*f*) Facile autem arteriolae illae inprimis in infante materia ceracea poſſunt repleri; interdum tamen in infantibus in ipſo partu ſuffocatis, plurimas in ipſa iam iride ſanguine per villoſitatem egregie pellucente, plenas vidi, vt inde elici poſſe videatur, in homine viuo vaſcula illa liquorem ſanguine tenuiorem & decolorem vehere.

(*g*) Cum vaſis meſentericis iam comparat BERTRAND. *n.* 30. *p.* 62. MORGAGN. *epiſt. cit.* §. 9.

(*h*) Circuli minoris iridis mentionem iam feci in *epiſt. de ſubtilioribus vaſis oculi.* Ab eo autem tempore obſeruationibus repetitis melius circa eius fabricam fui edoctus.

dique continuum clauſumque eſſe (*i*), neque omnes arteriolas per arcus inter ſe coire, quarum certe ſemper plurimae, circulum illum minorem praetergreſſae, ramis tantum quibusdam lateralibus emiſſis, continuo annulum minorem adeunt; & Ill. HALLERVS (*k*) iam monuit, nunquam omnia vaſcula iridis in vnum circulum ad oram internam annuli maioris tanquam receptaculum commune coniungi & immitti, vnde ramuli annuli minoris oriantur.

Ex conuexitate ergo arcuum, a vaſculis iridis formatorum, & a vaſculis ſolitariis circulo non vnitis, innumeri oriuntur ſurculi, quorum pauciores certe recta verſus centrum pupillae tendunt, ſed plurimi ad alterutrum latus ſe deflectunt, &, itinere cum limbo iridis parallelo, in annuli modum circumducti, oram interiorem iridis legunt & perreptant. Vaſculum eiusmodi annulare in itinere plurimos accipit ramulos ab arcubus, quos praeterlegit & ab arteriolis rectis, & demum inſeritur, ſi per aliquod interuallum proceſſerit, ſimili vaſculo ex annulo maiori adeunti & circa ambitum iridis ducto. Saepe in annulo illo minori duo triaue eiusmodi vaſcula oram pupillae legentia, parallela inter ſeſe incedunt, & non ſolum multis ramulis minoribus inter ſe anaſtomoſes faciunt, ſed & ſurculos rectos verſus centrum pupillae emittunt (*l*). Nonne credibile eſt, Anatomicos, vti RVYSCHIVM, HEISTERVM & alios, qui fibras orbiculares circa ambitum pupillae ductas ſibi viſas fuiſſe affirmant, illasque pro muſculoſis deſcribunt, obſcure forte in oculo, cuius vaſcula non ſatis erant repleta, arteriolas illas annulum minorem perreptantes, & annulares fere obſer-

(*i*) Clauſum vndique illum pinxit RVYSCHIVS ex oculo balaenae *Theſ.* II. *Tab.* I. *f.* 6. & ex homine *Epiſt. anat.* XIII. *adi. Tab.* XVI. *f.* 17. 18.

(*k*) *Deſcr. arter. oculi. p.* 47. vbi vide hiſtoriam fuſiorem huius circuli minoris.

(*l*) Vide *Tab. noſtr.* IV. *f.* 2.

obſeruaſſe. In fetu ipſa vaſcula iridis vltra oram pupillae producta rete faciunt in membranula ſic dicta pupillari, quae ad ſeptimum vsque menſem pupillam claudit, cuius vberiorem deſcriptionem Ill. HALLERVS repetito dedit. Ipſe autem in oculo infantis ante legitimum tempus nati, cuius vaſcula materia ceracea non erant repleta, poſtquam cornea & pars poſterior bulbi ablata, & ſimul lens cryſtallina capſula incluſa cum humore vitreo depoſita fuerat, certiſſime obſeruaui membranulam ex ora interiori iridis enatam, tenerrimam, omnique aranea tela ſubtiliorem, ex tenuiſſimis filis in opus fere reticulatum conflatam, quam in aqua fluitantem, & omnino vaſculis conſpicuis rubris deſtitutam ab iride craſſiori, rubella & ſanguinea facillime diſtinguere licuit. Annulum referre videbatur iridi continuum, qui maxima ex parte pupillam occluſit *(m)*.

Propaginibus illis arterioſis intermiſti ſunt plurimi ſurculi venoſi, maxima ex parte nati a vaſis ſic dictis vorticoſis, quibus demum accedunt multi ramuli, orti ab venulis ciliaribus anterioribus, & venulis longis, quae ſimillimae arteriolis ciliaribus longis, ſcleroticam poſterius perforant, & ſub celluloſitate orbiculi ciliaris in duos ramos ad angulum obtuſiſſimum diuaricantur. A diuerſis illis fontibus plurimi ſurculi iridem adeunt, quos ad ipſam vsque pupillam proſequi licuit. Maiuſculi ſunt, multo tamen pauciores, quam ſurculi arterioſi, quos neque ad ambitum conuexum iridis, neque ad oram pupillae in circulum iungi, affirmare auſim (*n*).

Etſi

(*m*) Vberiorem membranae pupillaris hiſtoriam vide ab Ill. HALLERO conſignatam in *Act. Vpſal.* 1742. *Opuſc. anat. p.* 150. & iconem ibi adiunctam *Tab.* X. *f.* 3. 4. & *Deſcript. arter. oculi p.* 47. Conf. quoque figura WACHENDORFII, quae extat in *Commerc. Nor.* 1740. *hebd.* 18. *T.* I. *f.* 7. 8.

(*n*) Vid. *Tab. noſtr.* III. *f.* 2.

Etſi autem iniectio ceracea ex voto feliciſſime ſuccedat, vbi vaſa ſuper modum aucta, maiorem partem ſpatii occupant, vt tota reliqua pars choroidis vaſculis ita obducta ſit, vt plura recipere vix poſſe videatur, inter vaſcula tamen multae fibrae albidae, & membranea fere ſubſtantia, vaſorum mole multo maior, ſupereſt. Vix auſim omnes fibras ſuperſtites albidas, inanes, ad propagines nerueas referre, quae tanta non ſunt copia, vt omne reliquum ſpatium occupare poſſe videantur, etſi negandum non ſit, plures neruos ad iridem mitti, molis nempe huius partis habita ratione, quam ad vllam forte aliam corporis humani partem, ſi cordis muſculum forte excipiamus. Quum autem omnis anatome conſentiat, partibus muſculoſis plurimis ſemper impendi neruos, vt, quo plures adſint fibrae muſculoſae, eo plures nerui partem illam adeant, partes autem maxima ex parte ex vaſculis & tela celluloſa conflatas eo pauciores accipere neruos (*o*); dubius certe haereo, annon fabrica muſculoſa in iride agnoſcenda eſſe videatur; & annon ſumma illius mobilitas fibris muſculoſis inter plurima vaſcula admiſtis tribuenda ſit?

§. V.

Sedes colorum variorum iridis.

Vaſcula autem & neruuli celluloſitate inter ſe connexa & in anteriori & in poſteriori facie obducta ſunt villoſitate, quae in tergo iridis vbique illinitur pigmento nigro, paſtae fere inſtar, eodem modo, vti de corpore ciliari diximus (*p*); in anteriori autem facie pura, in oculo recenti variis coloribus, aliis in aliis hominibus, fulget, in iride autem in ſpiritu vini ſeruata veli fere inſtar albi opaci apparet, quod vaſculis inſtratum eſſe videtur, vti paulo ante diximus. A facie enim

(*o*) Sic pauciſſimi adeunt neruuli, pulmones, lienem & alia viſcera. Conf. *prim. Lin Phyſiol.* §. 377.

(*p*) *Sect.* II. §. III.

enim illa anteriori, ſi microſcopio, quod obiecta vel parum auget, examinata fuerit. vndique ſecedunt flocculi, qui libere in aqua conſpicui fluitant, a villis vaſculoſis plane diſtincti, & ex tela quadam ſubtiliſſima conflati, qui in humore aqueo fluitantes, varia refractione radiorum lucis inprimis varios illos colores iridis efficere videntur (*q*). Variae autem ſunt opiniones Auctorum circa ſedem & cauſam variorum colorum iridis. Nonnulli ex veteribus, vti CASSERIVS & INGRASSIAS, ex nimia erga GALENVM veneratione, cuius ſenſum tamen minus recte aſſecutos fuiſſe, ſupra vidimus (*r*), colores iridis tribuunt ſeptem illis circulis, quibus iridem conflatam eſſe tradunt, qui diuerſis fulgentes coloribus & inter ſe micantes varium illum colorem iridis reflectant. Omittere enim viſum eſt miras illas theorias, quas antiquiores de cauſa colorum iridis propoſuerunt, de quibus PLEMPIVS (*s*), qui vndique omnia collegit, legi meretur. Plurimi autem, parum hac de re ſolliciti nihil omnino tradiderunt. VERLE(*t*) iridem ex variis filamentis colore tinctis & diuerſimode contextis, & DRELINCVRTIVS (*u*) ex fibris multicoloribus conflatam eſſe docet. Parum certe a noſtra, quam attulimus, opinione abludere videntur, quae tradidit BRIGGSIVS (*x*), qui ſcribit, *tunicam vueam verſus iridem in filamenta tenuiſſima, diuerſimode hic illic (vt in illo fere ſerici confecti genere, Tabby dicto) extantia tranſire, quae materiam lucidam, a diuerſa reflexione, in tales colores vndatim diſponant.* VALSALVA, teſte MORGAGNIO (*y*), varietatem colorum iridis inprimis a varia ſanguiferorum vaſculorum diuiſione ac complicatione

(*q*) Eadem fere iam propoſui in *epiſt. de vaſis ſubtilioribus oculi. p.* 23.

(*r*) §. I. *not.* f.

(*s*) *Opthalmogr. L.* I. *c.* XII.

(*t*) *Anat. Oc. artific. p.* 34.

(*u*) *Praelud. Anat. p.* 155. *Opp. omn.*

(*x*) *Opthalmogr. p.* 51.

(*y*) Vide MORGAGN. *epiſt. anat.* XVII. §. 4.

ne repetendam eſſe credit, vti MOEHRINGIVS (*z*) aliique diſcipuli ALBINI ab ipſis ſeriebus fibrillarum iridis, quae in quouis homine diuerſimode decurrentes, pro earum textura nunc hos, nunc alios reflectant radios. HEISTERVS (*a*) autem oculorum colores pro diuerſitate pigmenti, quo facies anterior iridis induta eſt, variare contendit. Melius certe placet theoria BERGERI (*b*), qui varios iridis colores deducit ab ipſis radiis lucis, dum in multiplices illas fibrarum vueae ſuperficies incidunt, pro concurſu vario eminentiarum & cauitatum, ſaepius varieque reflexis; & opinio Auctorum hiſtoriae naturalis, qui in deſcriptione Theſauri rerum naturalium Regis Galliarum optime docent (*c*), ſubſtantiam iridis villoſam per fila & flocculos ita eſſe diſpoſitam, vt flocculi interualla filorum radiatim fere verſus centrum pupillae tendentium, occupare videantur, quibus elegantiſſime inter ſe contextis varii iridis colores formentur. Inprimis autem gaudeo, quod opinionem meam ſuperius allatam, quam ante duodecim iam menſes propoſui, priusquam libros modo dictos peruoluiſſem, confirmatam nunc videam teſtimonio grauiſſimo Ill. HALLERI, qui in libro nouiſſimo docet, vaſa vueae decolora multa tegi celluloſa colorata villoſitate, quae flocculos faciat (*d*), poſtquam in prioribus libris fibras & vaſcula varii coloris in varietate hominum deſcripſerat (*e*).

Flocculi illi optime in conſpectum veniunt, in oculo recenter euulſo, ſi iridem in aquam iniectam, microſcopio accuratius examinemus, vbi optime apparet, ab illis varie coloratis varios iridis colores inprimis pendere (*f*). In oculo

(*z*) *Diſſ. cit. p.* 42.

(*a*) *Diſſ. de choroid.* §. IX.

(*b*) *De natura humana. cap.* XXIX. *p.* 404.

(*c*) *Hiſtoire natur. T.* II. *p.* 190.

(*d*) *Deſcr. arter. oculi. p.* 46.

(*e*) *Comment. Boerh. T.* IV. §. DXX. *Prim. lin. Phyſ.* §. DVI. DXVIII.

(*f*) Mirum fere videtur, cur non omnes, qui tapetum ipſum choroidis varie coloratum eſſe viderunt, ſimili tapeto in facie anteriori iridis varios illius colores tribuere maluerint.

culo enim iam flaccido, incipiente ſenſim putredine flocculi illi ſenſim ſplendorem amittunt, & colores elegantes obſoleſcunt, etſi humor ater ab iridis tergo nondum abſterſus fuerit, ita, vt villoſitas illa plane expalleſcat, & in ſpiritu vini album, opacum velum referat. Non ſolum autem in annulo maiori, ſed in annulo etiam minori, & ipſo pupillae limbo, ibi licet multo breuiores, obſeruari poſſunt. Sedes tamen colorum iridis in illis flocculis iridis non vnice ſita eſſe videtur. Pigmentum enim illud atrum, tergo iridis illitum, multum certe facere videtur ad diuerſitatem illam colorem (*g*), quod, per interualla inter fibras longitudinales relicta, & tenuiorem fabricam annuli minoris melius translucet, vt eadem loca hanc ob cauſam ſaturatioris ſemper coloris eſſe videantur. Illam autem rem ſic ſe habere, obſeruatio ſaepius repetita mihi perſuadet, qua conſtitit, multum omnino de pulchritudine colorum iridis decedere, illosque colores fere euaneſcere, ſi pigmentum illud nigrum abſterſum fuerit (*h*), vti nullum quoque illius veſtigium ſupereſt, ſi vaſcula materia ceracea repleta fuerint. Quin ab eadem inaequali craſſitie iridis, & pigmento nigro alio in loco plus, in alio minus pellucente, inprimis repetendam eſſe cenſeo in varietate hominum diuerſitatem colorem. Omnes quidem oculi in eo conueniunt, quod fibrae maiuſculae iridis dilutiori colore gaudeant, & interualla ſaturatiori colore tincta albedine ſua egregie diſtinguant; in eo tamen differunt, quod in aliis color iridis magis ad fuſcum vergat colorem, quod hominum genus nigris eſſe oculis dicere ſolent, in aliis propius ad caeſium & coeruleum accedat (*i*). In illis ergo, qui fuſcos & nigros oculos obtinent

(*g*) Idem iam monuit PETIT *Mem. Ac. Roy. Par.* 1726. *p.* 79.

(*h*) In multis tamen animalibus, inprimis in illis, quae iridem micis fere aureis conſperſam habent, vt in rana, lacerta, color iridis vnice a villoſitate pendere videtur.

(*i*) Conf. de varietate colorum *Deſcr. du cabin. du Roi, T.* II. *p.* 190.

nent, iris ex ſubtiliori celluloſitate conflata eſſe videtur, quae nigredinem tergi iridis melius transmittit; in caeſiis autem oculis, celluloſa textura fortior & robuſtior fuſcitatem coloris frangit, & dilutiorem reddit. Sed neque rara ſunt exempla hominum, quae iridem duplici colore, fuſco & caeſio, gaudentem habent, quod crebra experientia me docuit (*k*).

§. VI.

Num iris ad motum aptiſſima propago vera choroidis dici poſſit.

Ex data hac iridis deſcriptione optime colligi poſſe videtur, qua ratione iris propago choroidis dici poſſit. Ab antiquiſſimis autem iam temporibus ea inualuit opinio, cum olim iam RVFVS EPHESIVS (*l*) traderet, membranam oculi ſecundam, nempe choroidem, corneae annexam, mediam dehiſcere, & orbiculari foramine perforari. Nec alia docet VESALIVS, FALLOPIVS, & omnes fere Anatomici, qui poſt illos vixerunt, in eo conſentiunt, choroidem in iridem degenerare. Plurimi demum recentiorum, qui a RVYSCHIO duplicem choroidis membranam receperunt, opinionem illam eo vsque ornarunt, vt laminam exteriorem in iridem, interiorem in proceſſus ciliares abire perhibeant. Vix autem vnum aut alterum deprehendimus, qui a communi opinione recedere non dubitauerit. Occurrit tamen inter veteres iam RIOLANVS (*m*), qui ambitum pupillae diſtinctam eſſe membranam ab vuea credit, cum habeat fibras peculiares & motum quoque proprium, & noſtro aevo PALVCCI (*n*), continuationem choroidis in iridem dubiam ſibi videri fatetur, cum iris nec ſoliditatem nec craſſitiem choroidis habeat. Et certe ipſe fere perſuadeor, iridem laminae choroidis exterioris propaginem dici nullo modo poſſe, cum

(*k*) Simile habet exemplum LOBE, *Diſſ. cit. p.* 90.

(*l*) *De corp. hum. part. appellat. Lib.* II. *p.* 55.

(*m*) *Anthropol. L.* IV. *p.* 416.

(*n*) *Libr. cit. p.* 12.

cum non ſolum orbiculus ciliaris celluloſus interpoſitus iridem ab illa longe dirimat, ſed etiam facies anterior iridis villoſa diuerſam plane a lamina exteriori choroidis fabricam facile prodat. Niſi autem iridem propriam & a choroide plane diuerſam tunicam dicere placeat, facilius certe concederem LIEVTAVD (o), iridem eſſe laminae interioris propaginem, ſi duas choroidis lamellas agnoſcere lubeat.

Quod ſi vero omnia attentius perpendam, ipſa iris quidem duplicatura choroidis eſſe videtur, ita vt facies interna retinae contigua in anteriori parte extrorſum verſa corneam reſpiciat (*p*). Vbi enim proceſſus ciliares, verae propagines choroidis, iridis limbo, ſe ad corneam ambitum alliganti, a tergo ſunt annexi, ibi choroides a plicis proceſſuum continuata, ex angulo, vbi iris cum illis conuenit, tenerior facta, verſus pupillam tendit, quo in itinere in homine quidem in plurimas ſtrias tenuiores, in boue autem in plicas ſat extantes contrahitur, eodem modo, vt proceſſus ciliares a choroide formari diximus. Ab hac interna facie lenti cryſtallinae obuerſa plurimus humor ater villoſitatem illius vbique aequaliter obfuſcat. Ad ipſum autem pupillae limbum choroides multo magis extenuata in aciem procurrit, vbi annulum minorem format, & inde contra ſe ipſam reuoluta, & prioris laminae veſtigia relegens ad corneae internum ambitum alligatur, & ſulco ſiue circulo nigro, corneae internam faciem limitanti, firmiſſime accreſcit (*q*). Flocculi ab anteriori illa iridis facie ſecedentes ſemper & in omnibus animalibus puri & varie colorati in aqua libere fluitant. Intra duplicaturam illam vaſcula & fibrae nerueae decurrere, & in villos deni-

(*o*) *Eſſ. anat. p.* 139.

(*p*) Iridem pro duplicatura choroidis iam habuiſſe videntur DIEMERBROECK. *L.* III. *c.* XVII. & PLEMP. *libr. cit. c.* X. obſcurius tamen loquuntur.

(*q*) Sic etiam HOVIVS. *p.* 43. WEITBRECHT. *Comment. Petropolit. T.* XIII. *p.* 350. & MOEHRING. *diſſ. cit. p.* 42. vaſcula iridis inter duas lamellas decurrere affirmant.

denique & flocculos terminari videntur. Etſi autem in boue lamina illa anterior ſucculenta villoſa tanta craſſitie mihi viſa fuerit, vt vaſa iridis mercurio repleta, turgentia quidem pone illam obſeruare liceret, ſplendor tamen mercurio minime per illam pelluceret; quin, etſi non ſolum in recenti oculo bubulo, ſed etiam in homine abinde, in ſpiritu vini ſeruata, hinc inde lacinia illius villoſitatis auferri poſſit; idem tamen hic valet, quod ſuperius de choroide diximus (*r*). Cum enim villoſitas in vtraque parte vaſculis iridis per duplicaturam illam decurrentibus immediate continuata ſit, nec vllibi duae illae laminae vera celluloſitate interpoſita a ſe inuicem disiunctae ſint, dici fere poſſe videtur, iridem eſſe membranam quidem ſimplicem, quae autem ab vtraque facie, vti choroides tantum ab interna, villoſitate quadam obducitur, ita tamen, vt faciei poſterioris flocculos humor ater obfuſcet, anterioris autem flocculi pro varietate hominum varios colores reflectant. Sed etiam decurſus vaſculorum diuerſiſſimus, moles neruorum iridi vnice inſeruientium, quorum nullus neque proceſſus ciliares neque choroidem adire certa fide viſus fuit, motus facillimus, & argumenta, quae fabricam muſculoſam adeſſe fere docent, in eo conſentire videntur, iridem eſſe partem propriam, peculiarem, quae non ſatis accurate choroidis continuatio dici poſſit (*s*).

Inprimis autem ſumma iridis mobilitas, qua ad omnem lucis maiorem gradum conſtringitur, ad omnem minorem dilatatur, mihi perſuadet, iridi datam eſſe fabricam a fabrica choroidis diuerſiſſimam, in qua nulla irritatione ſimile quid deprehenditur, quocunque etiam modo irritata fuerit. Automaticus ille motus eſt, nec animi imperium expectat, & iris illud quoque cum omnibus reliquis muſculis com-

 mune

(*r*) Vid. *de chorioid. ſect.* I. §. VIII. *p.* 53.

(*s*) MOEHRING *loc. cit.* quoque monet iridem pro peculiari membranae inter oculi tunicas annumeratam nonnullis fuiſſe.

mune habet, quod in pueris euidentius moueatur & conſtringatur, ſenſim in ſenis occalleſcente oculo pene immobilis reddatur (*t*). Communis hanc circa mobilitatem omnium fere eſt ſententia, dilatationem eſſe ſtatum naturalem, viribus remittentibus, quum illa a debilitate & ſyncope ſuccedat; ad contractionem autem efficiendam nouam a neruis cauſam motus in iridem aduenire debere, ſiue contractio illa a fibris muſculoſis, ſiue a fortiori adfluxu humorum in vaſa iridis pendeat. Obſeruationes autem meae paulo alia me docuerunt. Optime quidem animaduerti pupillam in ſyncope & agone ampliorem ſemper eſſe, & eo in ſtatu dilatationis per aliquod tempus a morte perſiſtere, quamdiu omnia in ſitu naturali ſibi relinquantur; In oculo autem bubulo & inprimis leporino & felino iteratis experimentis edoctus fui, pupillam poſt mortem ſenſim anguſtiorem factam fuiſſe & iridem, quamprimum a nexu cum ſclerotica liberata fuerit, ita ſeſe conſtrinxiſſe, vt in oculo bubulo pupillae ellipticae limbus dexter & ſiniſter fere inter ſe contingerent, & in oculo felino iride latiſſima facta, pupillae foramen tantum non deleretur. Cum autem ad explicandum hoc phaenomenon neque vires contractiles fibrarum orbicularium, neque vis irruens humorum in animale diu ante mortuo in auxilium vocari poſſint, parum abeſt, quin ad credendum adducar, dilatationem multum omnino pendere ab elaſticitate fibrarum iridis longitudinalium, contractionem autem fere eſſe naturalem & ſponte ſequi, ſi fibrae longitudinales plane relaxatae, & a puncto fixo, cui adnectuntur, diuiſae fuerint.

(*t*) Conf. *Prim. lin. Phyſiol.* §. DXV.

Capvt. III.

DE

TVNICA RETINA.

§. I.

Denominatio retinae.

Ad tertiam nunc accedimus oculi tunicam retinam nempe, quam, diſſentiente licet GALENO (*a*), ad oculi tunicas referre maluimus, tum, ne a communi loquendi more diſcedamus, tum, quod duabus reliquis concentrica in latam membranam expanſa humori vitreo circumducta ſit. HIPPOCRATI (*b*) autem iam notam fuiſſe, ex eius verbis colligi fere poteſt, vbi membranarum, quae oculos cuſtodiunt, tertiam eſſe dicit tenuem, quae humorem conſeruat, & omnino periculoſam, ſi laedatur. Ex ipſo enim hoc fonte, & hac retinae definitione GALENVS opinionem ſuam hauſiſſe videtur, retinae nempe primariam eſſe vtilitatem, vt humori vitreo alimentum adferat (*c*). CELSVS (*d*) eandem retinam arachnoidis nomine intelligere videtur, vbi docet, tenuiſſimam tunicam, quam HEROPHILVS ἀραχνοειδῆν nominauit, mediam ſubſidere eoque cauo continere quiddam, quod a vitri ſimilitudine, ὑαλοειδὲς Graeci vocant, vti neque cum cryſtallina tunica confundi poteſt, quum paulo poſt ipſius lentis cryſtallinae mentionem faciat, quod inprimis

(*a*) *De vſu part.* L. X. *c.* II. alio tamen loco *de Hippocrat. & Plat. decret.* L. VII. *c.* 5. ſuo iam tempore a plurimis tunicam dictam fuiſſe fatetur.

(*b*) *De loc. in homine. n.* 5.

(*c*) *De vſu part.* L. X. *c.* 11.

(*d*) *De Medicina.* L. VII. *c.* 7. *n.* 13.

mis confirmant verba RVFI EPHESII, qui diſerte arachnoidem & amphibleſtroidem eandem tunicam eſſe affirmat (*e*). GALENVS tamen arachnoidem & amphibleſtroidem, vt ſingulas tunicas recenſet (*f*), & ſemper amphibleſtroidis vocabulo ad ſignificandam retinam vtitur, qui eam ex nerui optici ſubſtantia dilatatam eiusdemque naturae eſſe dicit, vt, ſi in vnum aceruum collapſa fuerit, cerebro portio exemta fere videatur (*g*); ſed vaſcula plurima illi eſſe intertexta cum RVFO bene obſeruauit. Deductam illam a retis ſimilitudine appellationem, graeco vocabulo amphibleſtroide in retinae vocabulum, barbarum licet, mutato, omnes, qui ſecuti ſunt Anatomici, ſeruarunt, vt neminem eſſe credam, qui a communi loquendi more recedere auſus fuerit.

§. II.

Origo retinae a ſubſtantia medullari nerui optici.

Retinae autem hiſtoriam incipere animus eſt a nerui optici in craſſitie ſcleroticae conſtrictione, eiusque per laminam cribroſam tranſitu. Neruus enim opticus in ipſo nunc per ſcleroticam tranſitu, ſenſim contrahitur, eoque magis, quo propius ad finem ſuum properat, ita quidem, vt vltra duas tertias partes prope illius finem conſtringatur. Eiusmodi conſtrictionem EVSTACHIVS iam expreſſiſſe videtur, ſi diametrum nerui optici extra bulbum cum illius diametro in tranſitu per ſcleroticam comparemus (*h*). MALPIGHIVS (*i*) autem & noſtro tempore plurimi Anatomici

(*e*) *De appellat. part. corp. hum.* L. I. *c.* 23.

(*f*) *Method. med.* L. I. *c.* 6.

(*g*) *De vſu part. loc. cit.*

(*h*) Confer. *T.* XXXX. neruus opticus abſciſſus in fig. I. II. III. cum eiusdem extremo origini retinae adhaerente. *f.* IV. V. *lit.* D.

(*i*) *Exercit. de Cerebro.*

ci (*k*) illius conſtrictionis diſerte mentionem fecerunt; quam autem nimiam delineauit le CAT (*l*), qui neruum opticum prope finem filo fere ſtrangulatum, & tantum non eliſum delineat, cui per anguſtiſſimum iſthmum corpuſculum fere cordiforme adhaeret. Illa autem nerui contractio, non ita, vt vulgo creditur, contingit, vt nempe nerui vndique aequabiliter contracti parietes propius ad ſe inuicem accedant, & lumina illius lente decreſcentia cum prioribus maioribus concentrica & eadem figura maneant. Sed lumina nerui ita decreſcunt, vt nerui paries interior naſum reſpiciens recta fere linea ad finem procurrat, & paulo ante vltimum terminum a via ſua deflectat, paululum verſus centrum neruí inflexa; exterior vero citius, via recta relicta, verſus latus oppoſitum ſe inflectat, & dum ad centrum propius accedit, lineam multo maiorem in arcum inflexam deſcribat. Et facile apparet, ſi neruum per longitudinem diſſectum inſpicias, latus partis huius dimidiae nerui diſſecti tempora verſus multo eſſe conuexius, & naſum verſus planius (*m*). In ipſis illis anguſtiis ſaepe in prouectioris aetatis hominibus fuſcitas quaedam tam exteriori nerui faciei, quam intimae illius ſubſtantiae celluloſae, faſciculos medullares diſtinguenti, offunditur, quam in oculis bubulis & ſuillis ſaepiſſime, in homine autem vix vnquam ſe animaduertiſſe MORGAGNIVS teſtatur (*). In infantibus autem inprimis ibi ſubſtantia nervi ſemipellucida fere fieri videtur. Priusquam autem nervi contracti ſubſtantia medullaris in retinam expandi poſſit, offendit laminam tenuiſſimam, & pellucidam, poſitam intra craſſi-

(*k*) v. g. Ill. HALLER *prim. lin. Phyſiol.* §. DIV. MORGAGN. *epiſt.* XVII. §. 37. CASSEBOHM. *p.* 332. WINSLOW. *Tom.* §. 226.

(*l*) *Traité des ſens. Tab.* VII. *f.* 2.

(*m*) Eadem iam dixi in *Comment. Soc. Reg. ſcient. Gotting. T.* III. *obſeru. de tunicis & muſculis oculorum.* §. IV. & icone expreſſi *fig.* I. Vid. quoque hic *adi. Tab.* I. *fig.* I.

(*) *Epiſt.* XVII. §. 37.

craſſitiem ſcleroticae, circulo illi continuam, vnde pia mater a neruo reflexa ad ſcleroticam accedit (*n*). Plurimis foraminulis, quorum numerus ad triginta vsque ſurgit (*o*), perforata eſt, quae nerui ſubſtantiam medullarem, in faſciculos minimos collectam, vna cum filis cellulosis, vti per cribrum, transmittunt, quod optime apparet, ſi, choroide & retina remota, neruus digito leniter comprimatur. Tunc enim ſubſtantia medullaris per foraminula illa minima inſtar punctulorum albicantium vbique propullulat, qui colliculi mox abſterſi ad ſingulas compreſſiones ſemper redeunt (*p*). In medio autem ſemper foramen vnum alterumue reliquis maius ſupereſt, per quod, ſi attentius inſpiciatur, nulla ſubſtantia medullaris ad compreſſionem nerui prodit, vacuus nempe porus arteriae & venulae centralis non repletae, quem puncto iam expreſſit EVSTACHIVS in medio orbiculari ambitu, & quem circulus nigris lineolis diſtinctus ambit, & a vicina ſclerotica diſtinguit, vt optime fere inde colligi poſſe videatur, EVSTACHIO iam laminam illam perforatam notam fuiſſe (*q*); qui itidem choroidem a margine illius laminae

(*n*) Diſcipuli ALBINI laminam illam ſcleroticae continuam eſſe tradunt. MOELLER. *diſſ. de retina.* §. XIV. XV. Superius autem iam docuimus, laminam interiorem ſcleroticae, piae matri nerui continuam, vbique intercedere, quo minus ſclerotica retinam tangere poſſit.

(*o*) Teſte Ill. HALLERO. *Deſcr. arter. oculi. p.* 42.

(*p*) Vid. *Comment. Reg. Soc. ſcient. Gotting. loc. cit.*

(*q*) Non poſſum, quin hic ab Ill. ALBINO diſſentiam; qui in explicatione EVSTACH. *Tab.* XXXX. *fig.* XI. *lit.* G. *f.* XII. *litt.* C. C. orbiculatum ambitum nudam ſcleroticam eſſe dicit, ex cuius margine nigris lineolis diſtincto choroides originem ſumat; foraminulum autem *fig.* XII. *lit* D. porum eſſe ſcribit, vnde retina ſe explicet. Ex ipſis autem EVSTACHII verbis, ab Ill. ALBINO allatis, quibus aſſerit, ſe, ſoluto prius oculo in ſingulas membranas, foramen nerui viſorii praeſentibus ante oculos expoſuiſſe, coniici iam poſſe videtur, illum foraminulo *fig.* XII. *lit.* D. nihil

minae ortam delineat, eodem fere modo, vti ipſi ſupra docuimus. Nec aliam fabricam obſeruaſſe videtur MORGAGNIVS, vbi affirmat, ſe neruum opticum in ipſo inſertionis loco impeditum vidiſſe ſtructura quadam membranacea quaſi cellulosa, inſtar eius, quae in axe eſt ſtirpium quorundam rarioris medullae (*r*). Diſerte autem laminam illam cribroſam ab ALBINO oſtenſam deſcribit ex oculo bubulo & humano, icone ad oculum bubulum facta adiuncta, MOELLERVS (*s*), & poſt illum repetit HEVERMANN (*t*). Sed & eandem notam iam habuit Ill. HALLERVS (*u*), vbi choroidis initium eſſe dicit album circulum, multis foraminibus perforatum, per quae ſubſtantia medulloſa nerui optici penetrat, eandemque ſub nomine ſcleroticae circuli albi alio in loco deſcribit (*x*).

Vbi demum ſubſtantia nerui medullaris per foraminula lamellae illius penetrauit, vt in retinam nunc ſeſe expandat, tunc eo in loco ſtatim abit in papillam conicam albam, neruo ipſo anguſtiorem in medio inſtar ſcyphi depreſſam, quam, nonnullis veterum (*y*) iam dictam, reſtituit inprimis WINSLOWVS (*z*), poſt quem plurimi recentiorum eandem

nihil aliud indicare voluiſſe; niſi porum arteriae centralis vacuum, reſpondentem puncto in medio neruo optico, quem pingit in *fig.* I. *ſub lit.* F. *f.* II. *lit.* C. *f.* III. *D.* inprimis quum in *fig.* X. ex eadem media parte nerui optici, & ex eodem puncto vaſa retinae deduxerit. Ill. iam HALLERVS punctum illud in fundo oculi ab EVSTACHIO pictum pro poro arteriae centralis vacuo accepit. *Deſcr. art. oculi. p.* 42.

(*r*) *Epiſt. anat.* XVII. §. 45.

(*s*) *Obſeru. circa retinam & neruum opticum.* §. XIV. XV. *Tab. adi. f.* 1. 2.

(*t*) *Phyſiol. Tom.* II. §. 739.

(*u*) *Prim. lin. Phyſiol.* §. DVI.

(*x*) *Deſcr. art. oculi. p.* 42.

(*y*) De quibus vide MORGAGN. *epiſt.* XVII. §. 36.

(*z*) *Tr. de la tete* §. 223.

eandem deſcribunt (*a*). Etſi autem Viros ſummos erroris inſimulare omnino non auſim, vix tamen poſſum, quin fatear, mihi nunquam papillam illam ſatis euidenter fuiſſe obſeruatam, & vix ſatis diſtincte vidi ambitum circularem & leuiter prominulum, qui reſpondeat circulo, vnde choroides originem ſumit. Introſpiciendo autem per humorem vitreum nondum depoſitum, ablatis tribus tunicis haemiſphaerii ſuperioris, & neruo optico prope eius per ſcleroticam tranſitum abſciſſo, eo in loco, vnde retina originem ſumit, apparet circulus in retina pellucidior, quantum patet lamina cribroſa, dum radii lucis in neruum opticum illapſi, per inuolucrum nerui eiusque ſubſtantiam medullarem ad humorem vitreum transmittuntur, qui circulus plane obſcuratur, dum manu neruus opticus tegitur, & acceſſus lucis arcetur. Ab eo autem loco, faſciculis omnibus in tunicam collectis, medulla continua in haemiſphaericam cupulam expanditur, vti iam GALENVS retinam collapſam cerebri portionem exemtam fere videri ſcripſerat (*b*), & alibi retinam definit eſſe ſubſtantiam nerui optici ſolutam & dilatatam, quae vitreum humorem amplectatur (*c*). Neque facile quendam inuenies, qui de origine retinae a ſubſtantia medullari nerui optici dubitauerit, ſi a WINSLOWO (*d*) diſceſſeris, qui recentiori tempore ortum illum in dubium vocauit, ſibi perſuaſus retinam nimis craſſam videri, quam quae a medulla oriri poſſit; quin ipſe MORGAGNIVS timide loqui fere videtur (*e*). Quod ſi vero neruum opticum ad inſertionem vsque ſecundum longitudinem diſſectum in oculo recenti adſpicias, ipſos certe funiculos medulla-

(*a*) Ill. HALLERVS *Comment. Boerh.* T. IV. §. DXXV. *not.* d. ST. YVES *libr. cit. p.* 16.

(*b*) *De vſu part. Lib. X. c.* II.

(*c*) *De Hippocr. & Galen. decret. L.* VII. *c.* 5.

(*d*) *Tr. de la tete. n.* 228.

(*e*) *Epiſt.* XVII. §. 37. Sic dubii quoque hac de re loquuntur, LIEVTAVD. *libr. cit. p.* 129 BONHOMME *libr. cit. p.* 145. & alii.

dullares nerui in retinam continuatos, ipſamque papillam cum retina continuum medullare corpus efficere facile videbis.

§. III.

Fabrica retinae.

Ab illa demum lamina perforata retina intra choroidem in ſimilem choroidi concentricam ſphaeram expanditur, in planam, aequalem, vniformem membranam diducta. In lepore quidem ad ingreſſum nerui optici obſeruaui foueolam, vnde retina in tunicam formanda prodit; inde tamen retina non aequabili craſſitie in omnem ambitum ſpargitur, ſed in vtroque latere ex fouea illa adſcendit truncus medullaris reliqua parte craſſior & ſolidior, qui ad anteriorem vsque oram ſenſim leuiter attenuatus pertingit. Ex trunco illo, tanquam ex coſta pennae aut folii, vtrinque ad angulos acutiſſimos in omni longitudine prodeunt fibrae albae, tenuiſſimae, ad vtrumque latus tendentes. In interuallo autem trunco vtrique medullari interpoſito ex ipſa foveola fibrae prodeunt, quae inde quaſi a centro profectae, radiorum inſtar per retinam pergunt (*f*), quam elegantiſſimam ſtructuram in oculis leporinis VALSALVA & MORGAGNI iam animaduerterunt (*g*). Etſi autem BRIGGSIVS (*h*) ita de fibris retinae, ab optici nerui inſertione radiorum inſtar ſe expandentibus, ſcribere videatur, ac ſi fabricam illam omnibus fere animalibus communem eſſe crederet, nec deſint, qui illum ſecuti fibras illas in homine quoque agnoſcant (*i*), vt ipſe MORGAGNIVS fabricam illam latere

(*f*) Elegantiſſimae huius fabricae deſcriptionem, icone *Tab. adi. f.* 3. illuſtratam, dedi in *Comment. Reg Soc. Gott. T.* IV. *Sermon. de differentia fabricae inter oculum hum. & brut.*

(*g*) *Epiſt. cit.* §. 40.

(*h*) *Opthalmogr. c.* 3.

(*i*) Sic. v. g. PALLVCCI ſimile quid docere videtur. *libr. cit. p.* 18.

latere potius, quam omnino non eſſe arbitretur (*k*); plurimi tamen recentiorum fibras illas in homine, & animalibus maioribus locum non habere, & rugis & complicationibus deberi maluerunt (*l*). Neque ipſe in homine vnquam fibras radiatas vidi, ſiue retinam ab exteriori, ſiue introſpiciendo per humorem vitreum, ab interna facie ſpectarem. Quemadmodum autem fibris in retina humana nihil omnino tribuo, ita neque plicas quidem agnoſco, ſi omnes oculi partes in ſitu naturali maneant, niſi quae ab ipſa praeparatione oriantur (*m*). Quod ſi enim, detracta choroide, retinam integram, humori vitreo circumductam, aſpiciam, (id quod in oculo recenti non adeo difficile effici poteſt,) nullas omnino plicas diſtinguo, etſi ablato haemiſphaerio ſuperiori retinae, alteram partem facile in plicas contrahi, &, depoſito humore vitreo, in rugas fere radiatas collabi, facile videam (*n*). In ea tamen retina, dum illam ſuper vitreum humorem expanſam, microſcopio attentius examino, plures obſeruo lineolas pellucidiores, nullo certo ordine ramis transuerſis inter ſe iunctas, inter quas areolae opaciores magisque albidae intercipiuntur, quae nihil aliud niſi vaſcula per reliquam medullarem retinae ſubſtantiam pellucentia eſſe videntur.

Craſſities retinae vbique eadem & aequalis mihi viſa fuit, nec illam anteriora verſus extenuatam vidi, vt multi recentiorum anatomicorum affirmant. (*o*).

Vt

18. Plura de fibris retinae vide in *Comment. Boerh. T.* IV. §. DXXV. *not.* e.

(*k*) Vid. *loc. mod. cit.*

(*l*) Fibras retinae reiicit Ill. de HALLER. *Prim. lin. Phyſiol.* §. DVIII.

(*m*) Idem iam monuit. PETIT *Mem. Acad. Roy. Scienc.* 1726. *p.* 80. Plicas retinae quoque negat HEVERMANN. §. 741.

(*n*) Rugas eiusmodi retinae pingit RVYSCH. *T.* 16. *f.* 19. *ad epiſt.* XIII. & earum quoque mentionem facit in *Theſ.* II. *Aſſ.* II. *n* 2.

(*o*) v. g. diſcipuli ALBINI vt MOEHRING. *p.* 59. LOBE §. 49. HEVERMANN. *Phyſiol. T.* II. §. 741.

Vt autem ad ipſam retinae fabricam propius accedamus, ex ſuperius allato GALENI loco iam apparet, illi retinam ex cerebri portione ſuperne deſcendente atque amplificata conflatam videri (*p*), cum alii piam matrem ad ſubſtantiam medullarem accedere crederent (*q*). Poſtquam opinio illa plane obſoluerat, poſt MAITREIEAN (*r*) RVYSCHIVS praeter medullarem ſubſtantiam membranoſi quid in retina ſe deprehendiſſe teſtatus eſt (*s*), etſi alibi doceat, membranoſum illud ſibi potius videri reticulum vaſorum, tam arcte & intricate ſibi conuexorum, vt peculiarem membranulam repraeſentent (*t*). Ill. autem ALBINVS vaſa retinae omnino pro membrana propria numerat, quae a retinae medulloſa parte diuerſa ſit (*u*). Retinae nempe vaſcula, quae in infantibus inprimis facillime poſſunt repleri, teguntur, qua chorioidem reſpiciunt, multa medulla nerui optici; qua vero vitreum humorem contingunt, ea ſede nuda ſunt, celluloſitate inter ſe connexa (*x*). Ipſe ergo ad indagandam tunicae huius tenerrimae fabricam acceſſi, & retinam, cuius vaſa materia ceracea erant pleniſſima, aquae purae immiſi, vt, quam mutationem maceratio & putredo facerent, de die in diem obſeruare liceret. Retina per aliquot dies in aqua macerata, ſenſim extenuata & magis pellucida facta fuit, vsque dum, maceratione longius protracta, ſubſtantia medullaris omnino plane euanuit, vt denique nihil ſupereſſet, niſi tela celluloſa ſubtiliſſima, vbi filis quibusdam maioribus fila innumera minima erant intermixta, per quam vaſcula cera repleta egregie ludebant. A reticulo vaſorum facile poteſt diſtingui tela illa celluloſa; poſitione & ſingu-

(*p*) *De vſu part.* L. X. *c.* II.

(*q*) Vid. MORGAGNI. *epiſt.* XVII. §. 34.

(*r*) *Lib. cit. Cap.* IX. *p.* 33.

(*s*) *Theſ.* II. *Aſſ.* 6. *n.* XI. *Aſſ.* I. *n.* XII.

(*t*) *Epiſt. problem.* XIII. *p.* 15.

(*u*) Conf. MOEHRING. *p.* 59. LOBE', §. 49. 50 HEVERMANN. §. 740. MOELLER. *n.* 19. CAMPER *de quibusdam oculi part. p.* TAYLOR. *p.* 25. 38.

(*x*) Conf. HALLERI *deſcript. art. oculi. p.* 42.

ſingulari textura filamentorum, quibus compoſita eſt, quae in omni directione ita ſibi ſunt intricata, vt optime appareat, vaſa eſſe tantum acceſſionem telae celluloſae, quae inter areolas reticuli vaſculoſi arte repletiſſimi vaſorum multo maior ſemper ſupereſt; Vti autem tela illa celluloſa reticulum vaſorum a facie interna ſuſtinet; ita ab externa ſubſtantiam quoque medullarem molliſſimam & alias diffluentem ſibi habet inſtratam, illamque firmat & ordinat, quae aliquam requirere videtur ſoliditatem, vt in tunicam expandi poſſit (*y*). Eiusmodi celluloſitatem, quae extremitatem pulpoſam nerui & vaſcula coniungit, in aliis quoque corporis humani partibus, vbi nerui ad ſentiendum ſunt diſpoſiti, ſummi Anatomici obſeruarunt, qualem Ill. ALBINVS (z) & de HALLER (*a*) in papillis cutaneis, & linguae ſenſui guſtus praefectis; MORGAGNI (*b*) autem & CASSEBOHMIVS (*c*) in ipſo molliſſimo neruo auditorio animaduerterunt, vt vel ex ipſa analogia, neque illam hic deeſſe, colligi poſſe videatur.

Poſſe vero medullarem retinae laminam remoueri, vt vaſculoſum rete membranae figuram retineat, alteramque ab altera integram detrahi, vltra hominum artem poſitum eſſe videtur, nec vlli vnquam contigiſſe, legere me memini, etſi, deleta macerando medulla, rete vaſculoſum laminam peculiarem referre videatur (*d*). Ex quibus omnibus elicio, retinam eſſe tunicam ſimplicem, ex celluloſa conflatam, quae vaſcula & ſubſtantiam medullarem ſuſtinet, etſi, duas diuerſas

(*y*) Celluloſitatem retinae iam animaduertit Cel. LVDWIG *Inſtit. Phyſiol.* §. 519. Conf. quam iam dixi in *Comment. Soc. Scient. Gotting. T.* III. *de tunicis & muſculis oculorum.* §. VI.

(z) Conf. HINTZE *diſſ. de pupillis cutis tactui inſeruientibus.* §. VIII. XIII. quae inſerta eſt *Vol.* VII. *diſſ. anat. ab* Ill. HALLERO *collect.*

(*a*) *Prim. lin. Phyſiol.* §. 425. 449.

(*b*) *Epiſt. anat.* XII. *n.* 55.

(*c*) *Tract. de aure hum. Tr.* V. *n.* 234.

(*d*) Conf. HALLERI *deſcript. arter. oculi. p.* 43.

ſas oſtendat facies, alteram vaſculoſam interiorem, alteram medullarem exteriorem, vt hac ex parte cum choroidis fabrica quodammodo conueniat. De vaſis retinae inferius dicemus.

§. IV.

De connexione retinae cum partibus vicinis.

Retina illa ſuper humorem vitreum choroidi contigua & concentrica antrorſum fertur, vndique libera, neque vlli harum partium coniuncta. A choroidis enim facie interna nullum plane vaſculum retinam adire, ſuperius iam docui (*e*) & Ill. HALLERVS (*f*) quoque monuit. WINSLOWVS autem, qui illam choroidi agglutinatam dicit, paulo obſcurius loquitur (*g*). Sed neque vnquam in homine videre mihi contigit, retinam vllo vinculo cum humore vitreo coniungi, aut ex illa vaſcula in illum tranſire praeter arteriam ALBINI, ex centrali retinae natam (*h*). Optime quidem noui, MAITREIEAN (*i*) iam olim dictas fuiſſe fibras, quibus retina humori vitreo nectatur. Neque diffiteor, me ipſum olim in ſimili fere fuiſſe opinione, qui in alio loco docui (*k*), retinam humori vitreo anterius nexu indiſſolubili iunctam eſſe videri, neque facile contingere, vt illa integra vndique ab humoris vitrei tunica auferri poſſit. Experimenta autem ab eo inde tempore in oculis recentibus & humanis & animalium maiorum inſtituta, ſaepiusque repetita, mihi ſatis ſuperque perſuaſerunt, retinam etiam anterius ab humore vitreo eſſe liberrimam (*l*), quae integra omnino vndique ab illo ſeparari poſſit.

Diffi-

(*e*) *Cap.* II. *de chorioid. Sect.* I. §. II.

(*f*) *Deſcr. art. ocul. p.* 42.

(*g*) *Tr. de la tete.* §. 223.

(*h*) *Libr. cit p.* 33.

(*i*) Vid. *Cap. de humore vitreo.* §. IV.

(*k*) Vid. *Comment. Soc. Reg. Sc. Gotting. T.* III. *Obſeru. de tunicis & muſculis oculorum.* §. VI.

(*l*) Conſentientem habeo BOERHAAVIVM. *Praelect. Acad. T.* IV. §. DXXIII.

Difficilius autem eſt iudicium de termino anteriori retinae. Plurimi certe Anatomici ab ipſo iam GALENO (*m*) retinam ad lentis vsque circulum maximum ducunt, illique inſertam eſſe perhibent, quod, vt veteres taceam (*n*), inprimis noſtro tempore WINSLOW (*o*), CASSEBOHM (*p*), FERREIN (*q*), LIEVTAVD (*r*), Ill. HALLERVS (*s*) affirmant, cum alii, vt VESALIVS (*t*), & FALLOPIVS (*u*) vix eam vltro mediam oculi ſedem extendi, alii vt PLEMPIVS (*x*), BRIGGSIVS (*y*), VERHEYEN (*z*), MARCHETTI (*a*), DIEMERBROECK (*b*), eam ad ligamentum ciliare terminari perhibent, quibus inter recentiores MORGAGNIVS (*c*) & diſcipuli ALBINI nonnulli adſtipulantur (*d*). Summa huius partis mollities, fabrica tenerrima, inprimis in oculo recenti, & mira mutatio, quam oculus in alcohole ſeruatus induit, qua partes pellucidiſſimae in ſummam opacitatem tranſeunt, & maxime conſtringuntur, rem eo difficiliorem reddit, vt aegrius certi quid determinari poſſit. Plurimi tamen, ſi eorum verba paullo magis attendamus, coronam

(*m*) *De Placit. Plat. & Hippocr. Lib.* VII. *c.* V.

(*n*) Conf. quae habet MORGAGNIVS. *epiſt.* XVII. §. 47.

(*o*) *Tr. de la tete.* §. 237.

(*p*) *Meth. ſec. p.* 326.

(*q*) Obſeruationes illius refert Cl. RAMSPECK *in Tentam.* I. §. 76. & HENCKEL in *epiſt. ad* KESSELRING *diſſert. de Methodo Fouberṫiana.* Contra illas nonnulla monuit Cel. BERGERVS, cui HENCKELIVS ſatis quidem acriter, ſed parum anatomice reſpondit, & rem ſuam peſſime defendit. Vid. *Medic. Chirurg. Jahrgänge. T.* II. III.

(*r*) *Eſſ. anat. p.* 141.

(*s*) *Prim. lin. Phyſiol.* §. DVII. *Hiſt. art. oculi. p.* 43.

(*t*) *De corp. hum. fabrica.* L. VII. *c.* XIV.

(*u*) *Inſtit. anat. p.* 283. b.

(*x*) *Cap.* XV.

(*y*) *Opthalmogr. c.* 3.

(*z*) *Tr.* IV. *Cap.* XIV.

(*a*) *Anat. p.* 216.

(*b*) *Lib.* III. *C.* XVII.

(*c*) *Epiſt.* XVII. §. 47.

(*d*) MOEHRING *p.* 59. LOBE §. 49. MOELLER. §. 17. HEVERMANN. §. 741. BERGERVS quoque retinam non vltra originem proceſſuum ciliarium deducit in diſſ. quam contra HENCKELIVM ſcripſit, qua autem illibenter careo.

ronam illam ciliarem inferius deſcribendam (*e*), ſiue Zonulam tenerrimam fibrillis breuioribus ſtrictam, quae ab humore vitreo orta conuexitati anteriori lentis inſeritur, pro ipſa continuatione retinae habuiſſe videntur, quod inprimis ex deſcriptione LIEVTAVD, CASSEBOHMII, & FERREINII (*f*) apparet, qui retinam ad aliquam a lente diſtantiam teneriorem & pellucidam factam, in conuexitatem anteriorem capſulae lentis immitti, & ad inſertionem vsque deduci poſſe affirmant. Nec membranam communem PALVCCII (*g*), quam retinae partem, & ab inuolucro nerui optici natam eſſe ſcribit, vt fibras medullares inſtratas ſibi habeat, aliud quidquam eſſe, quam Zonulam coronae ciliaris, data illius deſcriptio optime docet, quum & ſulcos, qui plicas proceſſuum ciliarium excipiunt, & eius in conuexitatem anteriorem inſertionem in illa itidem animaduerterit, etſi, non ſatis accurate locutus, illam cum ipſa retina confundere, & pro illius propagine habere videatur. Sed & alia ſunt, quae dubitationem aliquam relinquunt, & aſſenſum meum fere morantur, vt circa inſertionem retinae in lentem nondum plane ſim perſuaſus. Dum enim in oculo recenti, vbi & choroides & retina ſolidiuſculae ſunt, choroidem & illi continuum corpus ciliare detraho, ipſa retina ad originem proceſſuum ciliarium margine tumidulo, inprimis in oculo bubulo, terminatur, cuius oram in oue arteriola in circulum fere ducta legit, vt in boue integerrimo margine eleuari, & reuolui poſſit (*h*), & eloto muco nigro, inter illum marginem tumidulum

(*e*) Vid. *Cap.* IV. *de humore vitreo.* §. III.

(*f*) FERREIN, vt ex HENCKELII *epiſt. modo cit.* apparet, retinam diuidit in portionem medullarem & cryſtallinam, quarum haec in duas laminas ſecedit, quae lentem inuoluunt, eiusque capſulam conſtituunt.

(*g*) *Libr. cit. p.* 16. ſqq.

(*h*) Confer. Obſeru. de differentia fabricae in oculo humano & brutorum. *Comment. Soc. Sc. Gott. T.* IV.

lum & lentem humor vitreus appareat. Praeterea, ſi ad lentem pertingeret, aut inter choroidem & annulum nigrum, aut inter annulum nigrum & humorem vitreum illuc deferri neceſſe foret. Inter corpus ciliare & annulum nigrum non produci videtur, quam viam omnino intercipit mucus niger in Zonulam continuam conflatus, quem ex vltimis villis choroidis, minime autem a retina ſecerni, quilibet facile conceſſerit. Sed neque inter annulum nigrum & humorem vitreum deferri crediderim. Annulus enim niger, transſpiciendo per humorem vitreum, aterrimus ſemper apparet, nec nulla omnino nebula tectus, aut leuiſſime dilutus conſpicitur, ſed marginem anteriorem retinae, per quam ſemipellucidam choroides obſcurius pellucet, ad originem proceſſuum ciliarium, non ſenſim euaneſcere, ſed fine vbique aequali & accurate limitato terminari videmus. Praeterea omnis fere analogia corporis humani repugnat, quum nullum ſit in corpore humano exemplum, extremitatem cuiusdam nerui pulpoſam, medullarem, mutari in membranulam pellucidam, quae, omnis ſenſus expers, aut partem inuoluat, aut ligamenti inſtar inſeruiat. Experimenta autem in oculis affuſo alcohole ſeruatis inſtituta, paulo minus valent, quod ipſo alcohole omnia ita opaca redduntur, & conſtringuntur, vt retinam neque ab humore vitreo & Zonula coronae ciliaris ſatis diſtinguere, neque ſine laeſione auferre liceat. Quae quum ita ſint, non poſſum, quin iis adſtipuler, qui retinam ad originem corporis ciliaris terminari perhibent.

CA-

CAPVT. IV.

DE

HVMORE VITREO.

Abſoluta ergo deſcriptione oculi tunicarum, vti vulgo dicuntur, accedamus ad expoſitionem partium, quae in cauitate ſphaerae, tribus illis tunicis compoſitae, continentur. Ab antiquiſſimis nempe iam temporibus tres dicti ſunt humores, quo praeter humorem aqueum ſolent referre ſolidum corpus, & alterum molle gelatinae fere ſimile, etſi plurimi Anatomici iam monuerint, illam appellationem, ſi accurate loqui velimus, ſoli humori aqueo conuenire. Ne tamen vanis circa verba diſceptationibus immoremur, a deſcriptione humoris vitrei initium ſtatim faciam.

§. I.

Humoris vitrei ſitus, moles, & pelluciditas.

Humor vitreus & CELSO (*a*) & GALENO (*b*) aliisque antiquioribus Medicis optime iam notus, iisdem monentibus ita dicitur, quod fuſo vitro ſimile fere videatur. Situs eſt in parte poſteriori cauitatis oculi, & omne illud ſpatium ab inſertione nerui optici ad lentem vsque cryſtallinam replet, maximamque partem caui ſphaerae oculi occupat, vt VESALIVS (*c*), praeter nonnullos alios (*d*) iuſtam repre-

(*a*) *De Medicina. L. 7. cap. 7. n.* 13.

(*b*) *De vſu part. L. X. cap.* I.

(*c*) *De corp. hum. fabr. L.* VII. *cap.* XIV. *fig.* I.

(*d*) Sic VESALIVM nimis ſuperſtitioſe ſecuti errorem illum ab eo receperunt. PLATERVS *de corp. hum. ſtruct. L.* III. *T.* 49. *f.* 1. C. BAVH. *Theatr. anat. L.* 3. *T.* 22.

reprehenſionem mereatur, qui humori vitreo dimidiam tantum oculi partem icone ſua aſſignauit. Quem tamen errorem & ipſe faſſus eſt VESALIVS (*e*), & alii, vti COLVMBVS (*f*), ARANTIVS (*g*) & VAROLIVS (*h*) correxerunt; noſtro tempore lis illa omnino obſoluit. Etſi autem neque pondere ob nimiam diuerſitatem ponderis ſpecifici humorum oculi, neque menſura ob diffluentem eius mollitiem ſatis certe determinari poſſit, quantum moles humoris vitrei molem duorum reliquorum ſuperet, primo tamen intuitu ſtatim facile apparet, humore vitreo longe maximam cauitatis oculi partem occupari. In oculo congelato vltra molem naturalem expanſus multo maius adhuc occupat ſpatium, vt fere ſemper corpus ciliare a lente cryſtallina ſolutum & remotum inueniamus, & ipſa lens cryſtallina antrorſum preſſa iridem conuexam reddat, cauitate camerae poſterioris humoris aquei ſumme imminuta (*i*). In homine adulto ſemper eſt pellucidiſſimus, neque, quod lenti cryſtallinae contingit, in ſenio facile in flauum aut alium colorem degenerat, etſi in morbis opacam & turbidam reddi poſſe frequens experientia teſtetur (*k*), &, in oculo putredine incipiente, in rubrum colorem ſenſim degeneret. In fetu tamen ſemper eodem modo, vti cornea, roſeo & fere dilute ſanguineo colore gaudet, quem ruborem PETITVS non ſatis bene inflammationi laborioſo & difficili partu ortae tribuit (*l*), cum in omni fetu, ſiue partu in lucem editus, ſive ex matris vtero exciſus fuerat, vbi nulla inflammationis ſuſpicio adeſt, humor vitreus rubro colore tinctus, licet plane pellucidus deprehendatur. Liquor, quo humor vitreus

22. *f.* 1. VIDIVS *de Anat. corp. hum. T.* 78. *f.* 20. & alii.

(*e*) *Examen obſeru. Fallop.*

(*f*) *De re anat.* L. X.

(*g*) *Anat. obſeru. c.* 20.

(*h*) *Anat.* L. I. *cap.* IV.

(*i*) Conf. PETIT. *Mem. Acad.* 1723. *p.* 53.

(*k*) MORGAGN. *ep.* XVIII. §. 37.

(*l*) *Mem. Acad.* 1727. *p.* 247.

treus ſemper eſt ebrius, humori aqueo eſt ſimillimus, fluidiſſimus, qui per tunicam externam illaeſam facile transſpirat, ad ignem perfecte difflabilis, aqua tamen, vti ipſe humor aqueus, paulo denſior (*m*).

§. II.

Fabrica celluloſa humoris vitrei.

Humori huic vitreo fabrica eſt in celluloſa tenuiſſima, in cuius membranoſis interuallis liquor pellucidiſſimus continetur, quam totam molem tunica tenerrima vndique comprehendit. Veteres circa fabricam interiorem huius partis parum fuerunt ſolliciti; RIOLANVS (*n*) primum veriora docuit, qui optime aſſerit, tunicam vitream per ſubſtantiam humoris vitrei diffundi, cuius interiectu concretus appareat, nec fluidum reddi, niſi frequenti ſectione ſolutis filamentis, tum in aquam fluentem liqueſcere. Quo licet moniti, Anatomici tamen, qui poſt illum vixerunt, ad recentiora vsque tempora vix quidquam hiſtoriae humoris vitrei addiderunt. Praeſenti demum ſaeculo MAITREIEAN (*o*), PETIT (*p*), MORGAGNI (*q*), & DES MOVRS (*r*) inprimis experimenta ad indagandam fabricam huius partis inſtituerunt, & plurima ita iam occuparunt, vt vix, quod addi poſſit, ſupereſſe videatur. Variae autem ſunt rationes, quibus praeparatus humor vitreus intimam celluloſam fabricam prodat, ſiue humorem vitreum in aqua acidula macerando, ſiue coquendo, ſiue, illum glacie concretum, examinando. Vti enim in acido liquore ſeptula celluloſa ex ſumma pelluciditate opaca & exalbida redduntur, & in aqua fluitantia in conſpe-

(*m*) *Prim. lin. Phyſ.* §. 509.

(*n*) *Anthropol. L.* IV. *C.* IV. *p.* 416.

(*o*) *Libr. ſaepe cit. cap.* 10.

(*p*) *Mem. Acad. Pariſ.* 1723. & 1728.

(*q*) *Epiſt. anat.* XVII. §. 27. 28.

(*r*) *Hiſtoir. Acad. Pariſ.* 1741. *p.* 60.

conſpectum veniunt; ita, cum gelidae humoris vitrei lamellae aliae ab aliis lenta diuellantur manu, vbique apparent tenuiſſimae membranularum portiones, fortiores, quam facile putares, quae ſpecillo attolli, & a lamella conglaciata remoueri poſſunt. Praeterea ex eodem experimento elici poteſt, celluloſam illam laminulis potius latiuſculis, quam fibrillis linearibus compoſitam eſſe. Inprimis autem, experimentis Cl. DES MOVRS excitatus, indagare ſtudui, quanam ſint figura areolae, quas laminulae certa directione poſitae intercipiunt. Primum quidem, vti DES MOVRS iam monuit, ſtatim vidi, fragmenta glacialia in ambitu poſita eſſe maiora, interiora & lenti propiora minora. Sed ipſa illa fragmenta ſquamas referunt, quarum exteriores duas, tres quatuorue lineas longae ſunt, paulo minus latae, a parte poſteriori craſſiori in tenuiorem anteriorem finem cunei modo productae; interiores autem & lenti propiores ſenſim minores ſunt & breuiores. Omnes illae ſquamae ita ſibi incumbunt, vt facies conuexa exteriorem ambitum humoris vitrei, facies concaua lentem reſpiciat, & lenti proximae conuexitatem eius poſteriorem ſinu cauo excipiunt; ſegmenta enim circuli, cuius centrum in centro lentis forte poſitum eſt, referre videntur, quae a ſe inuicem ſeparari poſſunt. Interualla illa laminarum corporis vitrei vndique ſunt aperta, & per totam illius molem in vnam continuam cavitatem conſentiunt. Optime illud demonſtrant experimenta, quibus conſtitit, per leuiſſimum vulnuſculum membranae exteriori inflictum breui omnem liquorem exſudaſſe, ſacculosque inanes fuiſſe relictos; cuius corporis autem moles multo diutius ſeruatur, priusquam humor per parietem externum transſudans in auras euaneſcat, ſi corpus vitreum vna cum lente ſine vlla laeſione depoſitum fuerit (*s*). Vti autem humor vitreus, oculis in aëre ſuſpenſis, ſenſim pondere decreſcit; ita, oculo in aquam immerſo, breui pondere

(*s*) Conf. experimenta DES MOVRS *loc. cit.*

dere iterum auctum deprehendimus, vti cornea in aqua macerata turgeſcit (*t*). Congeriem illam celluloſam vndique comprehendit, & ſacculum vnum membraneum conficit tunica propria, vitrea vulgo dicta, quae fabricam lamellarum, cellulas intus efformantium, per humorem vitreum diffundit, illisque parietem communem praebet. Facile autem membrana illa demonſtratur flatu, qui per vulnuſculum immiſſus totum corpus in tumorem eleuat (*u*), vt quilibet iure mirari queat, BRIGGSIO (*x*) tunicam illam fictitiam & nihil niſi concretionem a diuturno aëris contactu arceſſendam viſam fuiſſe. Simplex vbique haec tunica eſt, vti idem in aliis tunicis viſcerum, vt lienis, hepatis, cordis, contingit, & ſtatim, vt credo, docere poterimus, quid WINSLOWO (*y*) impoſuerit, vt illam duplicem eſſe crederet.

§. III.

Membranula coronae ciliaris, cuius ope lens cryſtallina cum vitreo coniungitur, & Canalis Petitianus.

Diu autem ante WINSLOWVM iam olim COLVMBVS (*z*), & STENONIS F. (*a*) tunicam vitream ſuper anteriorem lentis faciem produci docuerunt, quam autem doctrinam

(*t*) Idem experimentis ſuis iam docuit PETIT. *Mem. Acad.* 1728, qui oculis in aqua horas circiter quatuor viginti maceratis, humorem vitreum in homine plus decem, in boue quadraginta auctum granis inuenit.

(*u*) Vid. *Comment. Boerhaau. Tom.* IV. §. DXXIII *not.* a. WINSLOW. *Tr. de la tete. n.* 228. MORGAGNI. *epiſt.* XVII. §. 25.

(*x*) *Opthalmogr. cap.* 3.

(*y*) *Loc. cit.*

(*z*) *De re anat. p.* 218.

(*a*) *Canis carchar. diſſect. cap. p.* 105.

ctrinam WINSLOWVS ita auxit & ornauit, vt tunicae vitreae duas laminas, poſterius arctiſſime ſibi agglutinatas, anterius diſcedere doceret, quae lentem & anterius & poſterius comprehendant (*), cum alii vti MAITREIEAN (*b*), ST. YVES (*c*), BONHOMME (*d*), CASSEBOHMIVS (*e*), ipſe PETITVS (*f*) & quot non alii, qui tunicam vitream ſimplicem eſſe affirmant, illam anterius in duas laminas ſecedere malint; quarum altera corpus vitreum pone lentem amicire pergat, altera ſuper lentis faciem anteriorem producatur, vt interuallum, quod circulus PETITI dicitur, inter ſe relinquant. Omnes nempe illi viderunt, a parte anteriori tunicae vitreae ſecedere membranulam lenti inſertam, quam alii modo dicti pro continuatione tunicae vitreae, alii ſupra allati pro ipſa retinae propagine habuerunt (*g*); quo etiam pertinet obſeruatio VALSALVAE a MORGAGNIO (*h*) ſeruata, qui in ſchedis reliquit, dum in bouini oculi diſſectione ab humore vitreo cryſtallinus ſeparatur, ſaepe ſuccedere, vt quaedam membrana ab hoc diuidatur ad formam plani circularis, quae ſolam illius tegat partem anteriorem. Eadem autem eſt membranula, aliquot iam abhinc annis nomine coronae ciliaris mihi dicta, quam deſcriptionem huc transferre non inutile erit (*i*). Dum enim in oculis & humanis & bubulis in fabricam canalis Petitiani inquiro, iteratis experimentis demum edoctus fui, in eodem plano, vbi corpus ciliare ex choroide producitur, ex tunica vitrea oriri membranulam aut Zonulam, ab illa ſtatim liberam, illi licet contiguam, quae inter

(*) Cum WINSLOWO duplicem humoris vitrei membranam, anterius in duas laminas lentis capſulam efficientes, diuiſam adgnoſcit LIEVTAVD. *Eſſ. Anat.* p. 130. 141.

(*b*) *Libr. cit. cap.* 10. *p.* 38.

(*c*) *Libr. cit. c.* 3. *p.* 14.

(*d*) *Cephalotomie. p.* 144.

(*e*) *Method. ſec. c.* 19. §. 23.

(*f*) *Mem. Acad.* 1726. *p.* 80.

(*g*) Vid. *cap. ſup.* §. IV.

(*h*) *Epiſt.* XVII. § 25.

(*i*) Vid. *Progr. de ligamentis ciliaribus.* §. IV.

inter corpus vitreum & corpus ciliare progreſſa, ſenſim, quo propius ad lentem accedit, eo magis a corpore vitreo dimouetur, & in conuexitate demum anteriori lentis vltra circulum maximum capſulae illius inſeritur, vt adeo ſpatium naſcatur naturale exiguum triangulare curuilineum inter humorem vitreum & hanc modo dictam membranulam, cuius trianguli baſin ſiſtit illa portio conuexitatis anterioris lentis inter circulum maximum & inſertionem eius membranulae intermedia. Illa autem Zonula a prima origine ex tunica vitrea ad inſertionem in lentem vsque percurritur fibris fortioribus, transuerſis, & ipſa membrana multo brevioribus, quae illam per interualla ſic ſtringunt & contrahunt, vt, per vulnuſculum membranulae illi inflictum, flatu in ſpatium illud triangulare immiſſo, canalis ſe ſiſtat continuus, & lentem vndique ambiens, ſpatiis alternis immiſſo flatu turgentibus, & contractis, qui, ſi comparationem inſtituere liceat, figuram fere exprimere videtur inteſtini coli flatu repleti, a ligamentis longitudinalibus inteſtino breuioribus in rugas contracti. Membranula demum illa coronae ciliaris, fibris breuioribus diſtincta & flatu recepto eleuata, tenera licet, eius tamen roboris in oculo recenti eſt, vt inflationem in experimento aliquoties iterato facile ſuſtineat; experimento autem ſaepius repetito, vel in oculo aliquot demum dies poſt mortem ex corpore euulſo, facile rumpitur, vt tunc tantummodo corona fibrarum ex tunica vitrea radiatim lentem verſus tendentium viſui ſe offerat, quod CAMPERO (*k*) inprimis impoſuiſſe videtur, qui fibras haſce ſolas, muſculoſas ſibi viſas, adgnoſcit. Gloria inuenti huius annuli debetur PETITO, qui illum inter duas laminas tunicae vitreae a ſe inuicem ſecedentes interceptum, & plurimis ſeptulis diuiſum eſſe affirmat, & vocabulo

(*k*) *Diſſ. de quibusdam oculi part. cap.* II. §. VI.

bulo ab Aurifabris recepto; lingua Gallica *canal godronné* appellat (*l*), plerumque autem in libris Anatomicorum ab inuentore canalis Petitianus dicitur. Poſt PETITVM Ill. HALLERVS (*m*) & CAMPERVS (*n*) praeter alios illum deſcribunt, & hic quidem ex oculo bubulo iconem eius addidit, quae cum fabricam non ſatis exprimere videatur, ſermonem meum icone ad exemplar humanum facta illuſtrare viſum eſt (*). Eiusdem vbique latitudinis eſt ac corpus ciliare, latior ergo ad tempora, minus latus ea parte, qua naſum reſpicit. In oculo recenti vacuus ſemper & collapſus reperitur, quem mechanica neceſſitate factum naturaliter vapor replet, vti omnibus aliis cauitatibus contingit. Nunquam autem ex capſula lentis, flatus in eum penetrat, vti neceſſario contingeret, ſi annulus ille & capſula lentis duplicatura tunicae vitreae formarentur, etſi vel ipſa inſertio huius Zonulae huic opinioni repugnet, quae non in circulo maximo, ſed in conuexitate anteriori ſeſe ad lentem applicat. Sed neque a retina pellucida facta parietem huius annuli anteriorem formatum fuiſſe vel inde apparet, quum optime tunc demum annulus ille inflari poſſit, ſi retina plane remota, & humor ater corpus ciliare oblinens abſterſus fuerit. Annon autem ad veri ſpeciem propius accedit, ex tenerrima tunica vitrea nouam hic ortam fuiſſe membranulam, quam ſi quis perſuadere nobis vellet, tunicae vitreae lamellas duas, poſterius ſibi agglutinatas, anterius a ſe inuicem ad conſtituendum illum annulum ſecedere, cum nullibi vel leuiſſimum veſtigium duarum lamellarum obſeruari poſſit, neque ab vlla arte humana, in tunica vitrea duas demonſtrari poſſe lamellas, expectari poſſe videatur? Flatus demum corpori vitreo immiſſus illud vndique ſic eleuat, vt illius faciem quoque ante-

(*l*) *Mem. Acad.* 1726. *p.* 80.
(*m*) *Comm. Boerh. T.* IV. §. DXXIV. *not.* b.
(*n*) *Diſſ. cit. cap.* II. §. VII.
(*) *T.* VII. *f.* 3.

anteriorem; vbi ſinu lentem excipit, tunica propria obduci, facile appareat.

§. IV.

Vaſcula humoris vitrei.

Pauca adhuc addam circa vaſa humoris vitrei, cui GALENVS (*o*) & plurimi eum ſecuti, venas negarunt; & ipſe RVYSCHIVS in membrana vitrea nulla omnino eſſe vaſa affirmat (*p*); nec niſi recentiori aeuo demum ea innotuerunt. WINSLOWVS (*q*) vaſcula humoris vitrei in fetu vi iniectionis inuenit, ſed illorum fontes ſilet. MORGAGNIVS (*r*) quidem vaſcula ſanguifera in oculo congelato a retina intra humorem vitreum excurrentia ſibi viſa fuiſſe credit; Vereor autem, vt ipſe ſuſpicatur, ne retina antea corrugata ea ex parte ſuis cum vaſculis intra congelaſcentem vitreum intercepta fuerit; Retinam enim in oculo congelato ſemper arctiſſime humori vitreo agglutinatam vidi, nec vnquam mihi contigit, vt illam integram & illaeſam a ſubiecta glacie avellere potuerim. ALBINVS, teſtibus Ill. HALLERO (*ſ*) & LOBE´ (*t*) in balaenae oculo vaſcula a ligamentis ciliaribus ad vitreum humorem delata demonſtrauit, in homine nulli vnquam viſa. Vaſcula autem ex retina ad humorem vitreum profecta LOBE´ potius ſuſpicatur, quam ipſe obſeruauit. Ill. HALLERVS (*u*) tamen in oue manifeſta, ex retinae vaſis orta, eſſe affirmat, & AMBROSIVS BERTRAND (*x*) deſcribit vaſcula ex choroide in retinam, & inde in ipſas humoris vitrei cellulas euntia. Vix autem citare

(*o*) *De vſu part.* L. X. *cap.* I.

(*p*) *Epiſt.* XIII. *p.* 10.

(*q*) *Tr. de la tete.* §. 301.

(*r*) *Epiſt. anat.* XVI. §. 28.

(*ſ*) *Comm. Boerh.* T. IV. §. DXXIII. *not.* a.

(*t*) *Diſſ. cit.* §. 56.

(*u*) *Prim. lin. Phyſiol.* §. DVIII.

(*x*) Quem citat HALLERVS in *deſcript. arter. oculi. p.* 49.

tare velim ſtellas vaſculoſas, quas in humore vitreo pinxit HOVIVS, natas a papilloſa membrana choroidis (y), aut illa vaſcula, quae delineat ſerpentinulorum ſimilia, capitibus modo ſurſum verſis, modo deorſum (z). Omnia enim illa ita ex ingenio ficta eſſe videntur, vt, num ſit in homine illo aliquid ſerii, non ſine iure dubitari poſſit. Quod ad meas attinet obſeruationes, mihi nunc demum vaſcula humoris vitrei viſa fuiſſe fateor, poſtquam antea ſemper diligentiam & aciem oculorum effugerunt. In fetibus nempe caninis recens natis, quorum palpebrae adhuc erant conglutinatae, certiſſima fide obſeruaui, ex arteriola ſanguine plena, quae ex arteria centrali retinae nata per humorem vitreum recta ad lentem fertur, in itinere plurimos emitti ſurculos rubellos tenuiſſimos, in cellulas humoris vitrei diſtributos (a), & alios ramulos ex illo trunculo ortos per ſuperficiem exteriorem humoris vitrei repentes. Praeterea in oculo veruecino optime detexi arteriolam ex centrali ortam, & per humorem vitreum diffuſam, quae autem ad lentem pertingere mihi quidem non videbatur. Alia autem vaſcula ex ligamentis ciliaribus orta nondum vidi.

(y) *Lib. cit. T. 3. f. 6.*

(z) *T. 4. fig. 4. 5. 6. 7.*

(a) Inprimis hanc rem attentione dignam credidi, quum & LOBE *loc. cit.* & MOELLER. *diſſ. cit.* §. 21. ramulorum ad vitreum humorem nullam faciant mentionem, quos tamen admittere videtur Ill. HALLERVS *deſcr. art. oculi. p.* 52.

 CA-

CAPVT. V.

DE

LENTE CRYSTALLINA.

§. I.

Situs, figura, color lentis cryſtallinae.

Ab antiquiſſimis iam temporibus inter humores oculi referunt lentem cryſtallinam, etſi corpus ſolidum ſit, vt, qui ante GALENVM ſcripſerunt, duntaxat cryſtallini & vitrei humoris meminerint; GALENVS (*a*) autem tres primus propoſuit humores, & tertium aqueum ipſe adiecit. Corpus illud ſolidum, propria tunica incluſum recipitur parte poſteriori depreſſione orbiculata, quam vitreum corpus anterius habet, anteriori vero parte natat in camera poſteriori humoris aquei. Sita ergo eſt lens cryſtallina in media axi oculi per centrum pupillae tranſeunte, cum autem & iris & corpus ciliare annulum a latere interno anguſtiorem exhibeant, lentis cryſtallinae centrum propius ad internum oculi angulum accedere, & intra planum, quod ad perpendiculum deſcendens oculum in dextram & ſiniſtram diuidit, in medietatem interiorem ſecedere videtur, monente iam VAROLIO (*b*) etſi in plano, quod per mediam axin oculi ab anterioribus ad poſteriora horizontaliter oculum in duas partes ſecat, omnino ponatur. Immergitur in humorem vitreum, ad vsque oculi circulum maximum, qui lentem in duas conuexitates diuidit, multum certe inter ſe inaequales.

Olim

(*a*) *De vſu part. L. X. cap. 5.* (*b*) *Anat. L. I. c. 4.*

Olim quidem iam GALENVS cryſtallinum non eſſe ſphaeram abſolutam & vndique aequabilem, ſed globo compreſſo ſimilem (*c*), & RVFVS EPHESIVS (*d*), ob figuram a poſteris lenticularem fuiſſe dictam monuerunt. Primus fuit THEOPHILVS (*e*), qui faciem anteriorem minus eſſe conuexam, &, vti verba eius ſonant, inſtar lentis compreſſam, diſerte affirmat, quae opinio in ſpurio quodam GALENI libro iam reperitur (*f*). Quae quidem deſcriptio inprimis poſt FALLOPIVM (*g*) vnanimi conſenſu omnium fere Anatomicorum fuit confirmata, ſi a ſolo forte VESALIO diſcedamus, qui aequalem vtrinque conuexitatem delineat (*h*); vti in vniuerſum in nulla alia Anatomiae parte, quam in deſcriptione oculi, minorem ſibi laudem conciliavit. Quin inter recentiores BRISSEAV, (*i*) quod fere mireris, poſteriorem lentis faciem planiorem eſſe tradidit. Omnes certe meae obſeruationes in eo conſentiunt, lentis conuexitatis anterioris ſectionem ad maioris circuli ambitum, quam poſterioris, attinere; etſi facile PETITO (*k*) fidem adhibeam, affirmanti, non ſolum aliquando aequalem vtrinque conuexitatem, quod ipſe quoque WINSLOWVS (*l*) teſtatur, ſed etiam, rariori licet caſu, anteriorem conuexitatem maiorem inueniri. Vnice id volo, mihi nunquam in oculo humano ſimile quid viſum fuiſſe. E contrario ſemper mihi contigit videre, vtramque faciem, habita ratione ad diametrum transuerſalem eo eſſe conuexiorem, quo propior homo eſt origini, vt in fetu aut infante recens nato ad figu-

(*c*) *De Hippocrat. & Plat. decret. L.* 7. *c.* 8.

(*d*) *De appellat. part. corp. hum. l.* 1. *c.* 23. *l.* 2. *c.* 3.

(*e*) *De corp. hum. fabr. L.* IV. *c.* 19.

(*f*) Monente MORGAGNIO. *epiſt.* XVII. §. 20.

(*g*) *Obſeruat. Anat. p.* 215.

(*h*) *De corp. hum. fabr. L.* VII. *c.* 13. *fig.*

(*i*) *Traité de la cataracte p.* 14.

(*k*) *Mem. Acad. Paris.* 1726. *p.* 71. & 1730. *p.* 5.

(*l*) *Tr. de la tete.* §. 133.

figuram fere ſphaericam accedere, & diameter ab anterioribus ad poſteriora parum a diametro transuerſali abludere videatur; quae lens in vtraque facie eo planior deprehenditur, quo homo adultior fuerit, poſt annum tamen triceſimum figura lentis parum amplius mutari, aut alterutrius faciei conuexitas ad maiorem planitiem, quam qua illa aetate iam gaudet, redigi videtur. Secundum elegantiſſima demum PETITI (*m*) experimenta plerumque ſuperficies anterior refert ſegmentum ſphaerae, cuius diameter ad 6, rariſſime ad 9, frequentiſſime ad $7\frac{1}{2}$ & octo lineas extenditur; poſterior autem facies ad ſphaeram pertinet, cuius diameter $4\frac{3}{4}$ vel 5 vel $5\frac{1}{2}$ lineas aequat (*n*).

Quemadmodum autem figura & conuexitas, ita color & firmitudo cum increſcente aetate ſenſim mutari incipiunt. In fetu quidem interdum non ſolum capſula (*o*), ſed ipſe lentis ſubſtantia, vti corneae & humori vitreo contingit, rubello colore tincta mihi viſa fuit, quae tamen in homine in lucem edito ſummam ſtatim pelluciditatem acquirit, & pellucidiſſima, puriſſima & omnino decolor ad eam vsque aetatem, qua homo incrementa capere deſinit, deprehenditur. Ab anno autem vigeſimo quinto aut triceſimo ſenſim lens leuiſſimam flauedinem contrahere incipit, quae deinceps magis magisque creſcit, vt ſeptuageſimo aut octogeſimo iam poſſit cum flauo ſuccino comparari, coniuncto tamen cum flauedine ſplendore pellucido, cuius naturalis dege-

(*m*) *Mem. Acad.* 1730.

(*n*) Homini datam eſſe lentem planiorem, quam omnibus aliis; quae ſecui, animalibus, oſtendi in Obſervat. de differentia fabricae inter oculum hum. & brut. *Comm. Gott. Soc. T.* IV. Ad figuram lentis humanae proxime accedit lens vrſi, & poſt illam lens canis, felis, vti omnia animalia carniuora lentes planiores habent, quam ruminantia. Piſcibus demum & auibus fere ſphaerica eſt.

(*o*) Capſulam in fetu rubellam quoque vidit PETIT, 1727. *p.* 247. 1730. *p.* 438.

degenerationis primum omnino mentionem fecit PETITVS (*p*), quam deinde WINSLOWVS (*q*), MORGAGNIVS (*r*), HALLERVS (*ſ*) & plurimi recentiorum teſtimoniis ſuis & obſeruationibus probe confirmarunt. Flauedinis illius frequentiſſime vidi initium fieri primum in centro, hinc creſcente aetate ad ambitum verſus extendi, vt circumfuſa nucleo flauo ſubſtantia mollior nulla flauedine infecta deprehendatur. Sed lens humana quoque flaueſcit, ſi in aere ſiccata fuerit, quod in aliis animalibus haud ita facile contingit. Ipſam illam flauedinem pendere crediderim a maiori firmitudine, quae iisdem gradibus ab anno triceſimo circiter augeri videtur, & pariter incipit a centro & demum ambitum verſus producitur, ita vt flauedo & firmitudo aequali augmento cum increſcente aetate intendi videantur (*t*). Increſcente enim aetate tubuli tenuiſſimi concreſcentes & rigidiores ſenſim facti minus humoris admittere & ſecernere videntur, qui, ſquamulis, quibus lens cryſtallina compoſita eſt, interponatur, vti MORGAGNIVS laticem aqueum, qui inter capſulam, & lentem ipſam inueniri ſolet, in ſeneſcentibus decreſcere iam obſeruauit (*u*). Circa omnia illa autem, quae modo de diuerſitate diametri, convexitatis, coloris & firmitudinis pro diuerſa aetate dicta ſunt, tenendum eſt, naturae leges non adeo accurate hic obtinere, vt illa ſemper inter ſe pro increſcente aetate reſpondeant (*x*). Saepe enim contingit, vt non ſolum nihil in colore, conuexitate, & interdum firmitudine diſcriminis inter iuniorum & ſenum oculos deprehendatur, ſed etiam in vno eodemque homine vnius oculi lens ab anteriori magis convexa

(*p*) *Mem. Acad.* 1726. *p.* 81, & 1730 *p.* 18.

(*q*) *Tr. de la tete.* §. 234.

(*r*) *Epiſt.* XVIII. §. 26.

(*ſ*) *Comm. Boerh.* T. IV. §. DXXVII. *not.* b. *Prim. lin. Phyſiol.* §. DX.

(*t*) Vid. MORGAGN. & PETIT. *loc. cit.*

(*u*) *loc. cit.*

(*x*) Vid. PETIT. 1730. MORGAGN. *ep.* 18. §. 27. LOBE. §. 58. 61.

vexa reperiatur, dum lens alterius naturaliter conſtituta ſit, & ipſa flauedo & firmitudo in altera lente maior, in altera minor appareat. A morte facile lens opacitatem contrahit, quam primum cadauer calorem naturalem amiſerit; ſed, monente iam PETITO (y), ad pelluciditatem redit, ſi lens igni admota, aut calore manus tepefacta fuerit. Glacie concreta per omnem ſubſtantiam in ſummam opacitatem degenerat, & lactei fere coloris deprehenditur; regelatione ſubſtantia quidem exterior priorem fere pelluciditatem requirit, etſi plurimae bullae aereae illi vbique admiſtae inueniantur, nucleus primum opacitatem contrahit (z), & tardius calore pelluciditas illi reddi poteſt. In ſpiritu vini lens ſtatim opaca & lactea fieri, & ſucceſſu temporis ſubſtantia exterior flaueſcere fere incipit.

§. II.

Fabrica lentis.

Lens enim illa cryſtallina compoſita eſt ex plurimis laminis ſibi ſuccedentibus, & ſquamarum cepae inſtar ſibi incumbentibus, quam ſtructuram lamellatam primus animadvertiſſe videtur STENONIS F. (a) qui non ſolum in piſcium, ſed etiam in animalium calidorum, & hominis oculo lentem ex lamellis eſſe compoſitam monet. Recentiori tempore inprimis PETITVS (b) & MORGAGNIVS (c) accuratius in fabricam illam lentis inquiſiuerunt (d). Facile lamellae illae in conſpectum veniunt, quarum exteriores vel in

(y) *Mem. Acad.* 1727. *p.* 253.

(z) Sic etiam cataracta ſaepe a centro incipit. MORGAGN. *epiſt.* XVIII. §. 18.

(a) *Myol. Spec. p.* 104.

(b) *Mem. Pariſ.* 1730.

(c) *Epiſt. anat.* XVII. §. 30. 31.

(d) Similia ad indagandam lentis fabricam inſtituerunt experimenta MAITREIEAN. *lib. cit. cap.* X. CAMPERVS. *diſſ. de quibusdam oculi part. cap.* II. §. III. & alii.

in recenti oculo bubulo ſola acie ſcalpelli a ſe inuicem attolli & detrahi poſſunt. Melius tamen maceratio tam in aqua ſimplici, quam in aqua ex infuſo ſucco citreo aut aceto acidiuſcula fabricam illam prodit (*e*). Sic cum lentem humanam in pura aqua per biduum maceraſſem, faciem anteriorem primum ſtriis ad perlae colorem fere accedentibus, & a margine centrum verſus conuergentibus, in ſena, & maceratione paulo longius protracta, in octona triangula aequicrura, inter ſe tamen inaequalia diffuſam vidi, vt facies illa ſtellae figuram egregie referret. Senſim illa triangula iterum alia ſtria a margine incipiente, ſed ad centrum nondum producta, in duos triangulos minores aequales fere diuiduntur; lente demum ex aqua extracta, fruſta illa triangularia, ſquamarum inſtar alia aliis impoſita & ſcalpello attolli & detrahi poſſunt, ſed & ſola agitatione in aqua lentis ſuperficies externa in tot ſegmenta facile ſecedit, quot triangula in eius ſuperficie occurrunt (*f*). Quod ſi demum ipſum nucleum ſolidiorem longiori macerationi ſubiiciamus, & ipſe ſenſim in ſegmenta triangularia diuiditur, quorum ſingula vlterioribus macerationibus in bina iterum abeunt, quae ad intimam vsque ſubſtantiam lamellarum cepae inſtar a ſe inuicem attolli & diuelli facile poſſunt. Praeterea in diſſecta lente aeri expoſita videre mihi viſus ſum lineam per circulum lentis maximum decurrentem, quae lentis partem anteriorem a poſteriori ſic diuidit, vt ſegmenta partis anterioris ſegmentis poſterioris non continua, ſed illis accurate applicata videantur, ac ſi duae cupulae circulorum inaequalium ſibi appoſitae fuiſſent. Etſi autem omnium animalium lentes tali modo in eiusmodi radios, in aliis alio modo factos, findantur, fabrica tamen humana in eo facile differt, quod radii ſemper a margine inci-

(*e*) Si lens glacie concreta, regelata & per medium diſciſſa, aëri expoſita fuerit, ſuperficies eius exterior ſponte in ſquamas dehiſcere incipit.

(*f*) Vid. MORGAGN. *loc. cit.* §. 30. 31.

incipiant, & ſenſim centrum verſus producantur; ita tamen vt multi eorum, qui triangula maiora in bina minora diuidunt, non ſemper illud attingant; cum in plurimis animalibus radii a centro verſus marginem excurrant, & ſegmenta triangularia, in quae lens abit, ex centro dehiſcere incipiant (g). In piſcibus, quibus nucleus lentis cornea fere eſt duritie, ſquamae illum conſtituentes ſponte ſine vlla maceratione ſeſe produnt, ſi ſcalpello acuto diſcindatur (h). Squamae illae ſecundum experimenta LEVWENHOECKII (i) fibris conſtant ſingulis, pulcherrimo ordine, alio in aliis animalibus, diſpoſitis, & in vortices intortis, quorum tria centra ſunt in plerisque quadrupedibus, duo in lepore & cuniculo, & itidem duo & axin quidem terminantia in piſcibus; in homine autem teſte PETITO (k) & WINSLOWO (l) res obſcura eſt, nec experimenta hanc circa rem inſtituta ſatis docuerunt, quonam modo fibrae ibi intortae ſint, quae ſquamas lentis componunt (m). Lens illa ex ſquamis eiusmodi factis compoſita non vbique eiusdem eſt conſiſtentiae, ſed ſubſtantia exterior mollior in omnibus animalibus circumfuſa eſt nucleo duriori ſolidiori (n), quae inaequalis conſiſtentia ab eo pendere videtur, quod ſquamulae exteriores craſſiores quidem, ſed ſimul ex fabrica intima molliores, &, intercedente inter ſingulas liquore aqueo, longius a ſe inuicem ſint remotae; ſquamulae

(g) Idem iam monuit PETIT *Mem. Acad.* 1730. *p.* 24. 25.

(h) Vide STENON. *Spec. myolog. p.* 104, & quos huc citat. Ill. HALLERVS *Comm. Boerh. T.* IV. §. 527. *not.* a.

(i) *Arc. nat. detect. p.* 66. 72. 75.

(k) *Loc. cit. p.* 25.

(l) *Tr. de la tete.* §. 233.

(m) BOERHAAVIVS ſquamulis lentis ex hypotheſi Ruyſchiana ex meris vaſculis conflatas eſſe credit. *Praelect.* in *Inſtit. T.* IV. §. DXXIV. *p.* 165.

(n) Vid. MORGAGNI *Adu. Anat.* VI. *Animadu.* LXXI.

lae autem interiores, tenuiores quidem, ſed ſolidiores, duriores, propiusque ſibi iunctae eſſe videantur. Liquorem illum aqueum optime demonſtrant bullae aëreae, quae in lente regelata apparent (o). Quae enim lens congelata alba & opaca vbique fuerat, calore quidem glacie ſoluta pelluciditatem aliquam adquirit, ſed innumerae in ea conſpiciuntur bullulae aëreae, minimae, ita diſpoſitae, vt, quae inter laminas exteriores intercedunt, maiores fere, rariores & inter ſe remotiores, in centro autem ſubtiliores, multoque denſiori ordine congeſtae fere videantur (*p*). Contingit nempe huic aquulae, quod omnibus aliis liquidis glacie concretis, vt conglaciatione particulae aëreae elementares, nec elaſticitatem ſuam exſerentes, in bullulas nunc elaſticae coëant, ſimulque molem corporis glacie concreti augeant. Ipſam autem illam aquulam contineri in interuallis celluloſitatis ſubtiliſſimae experimentis meis nixus crediderim; ſaepe enim accidit, cum in oculo bubulo alteram laminam exteriorem ab altera auellerem, vt tenuiſſima filamenta inter vtramque ſe proderent, & trahentem leniter ſequerentur (*q*); quae fila celluloſa efficiunt, vt laminae exteriores & inprimis ſuperficies lentis, quae capſulam contingit, vndique villoſa & tomentoſa eſſe videatur.

§. III.

De Capſula lentis.

Lens demum cryſtallina continetur capſula peculiari, pellucidiſſima, quae illam vndique ambit. Pars huius capſulae anterior GALENO (*r*) quidem iam viſa fuit; ſed totum

(*o*) Aquulae inter folia lentis mentionem iam facit Ill. HALLERVS in *Prim. lin. Phyſiol.* §. DX.

(*p*) Bullulas in lente regelata quoque vidit PETIT *Mem. Acad.* 1723. *p.* 53.

(*q*) Membranulas in lente vidit MORGAGNIVS *epiſt. anat.* XVII. §. 33.

(*r*) *De vſu part.* X. *c.* 6.

tum veſtire humorem cryſtallinum negauit, arbitratus, quae eius pars vitreo humore inuehitur, prorſus ſine munimento eſſe & tunicae expertem, quae quidem opinio VESALIVM (s), VIDIVM (t), VESLINGIVM (u), STENONIVM (x) aliosque habuit adſtipulatores. Plurimi tamen alii viderunt, lentem eſſe etiam a tergo tunica amictam propria, vnum membraneum ſacculum cum altera anteriori tunicae parte conficiente, qua in re omnes fere recentiores facile conſentiunt (y). Inter illos tamen non parum diſputatur, vtrum capſula illa lentis cryſtallinae propria & peculiaris tunica, an potius aut retinae aut vitreae ſit propago. Vti enim ſupra iam vidimus, poſt nonnullos veteres noſtro tempore inprimis Cel. FERREIN (z) capſulam lentis duabus laminis ſecedentibus partis retinae anterioris, quam cryſtallinam vocat, formatam eſſe aſſerit; WINSLOWVS (a) & plurimi Galli, qui cum illo ſentiunt, praeter alios ad veterem illam opinionem redierunt, vitream membranam anterius in duas laminas diuidi, quae lentem comprehendant, eiusque capſulam efficiant. Ab vtraque theoria diuerſa eſt opinio, quam propoſuit PALVCCI, qui partem poſteriorem lentis a membrana vitrea, quam in duas diuidi negat, ſuccingi, anterius autem obuolui membrana ſua communi, ſuper lentem producta, ſibi perſuadet, & vocabulum capſulae tribuit pelliculae tenuiſſimae, quae veram lentis ſubſtantiam obuoluat (b). Quod ſi vero omnia accuratius perpendamus, capſula lentis tunica propria a vitrea diſtincta eſſe videtur, vti ex deſcriptione ſtatim patebit.

Capſu-

(s) *De corp. hum. fabr.* L. VII. c. 13.

(t) *De Anat. corp. hum.* L. VII. cap. 4.

(u) *Synt. Anat.* c. 15.

(x) *Myol. ſpec.* p. 105.

(y) Conf. MORGAGN. *epiſt. anat.* XVII. §. 21. vbi hiſtoriam huius rei fuſe conſignauit.

(z) Vid. *ſuper. cap. de retina.* §. IV.

(a) *Libr. cit.* §. 229. 235.

(b) *Libr. cit.* p. 29. 42.

Capſula autem illa in partem anteriorem & poſteriorem optime diuidi poteſt. Portio anterior pellucidiſſima quidem (*c*), ſed valde elaſtica & ſatis craſſa eſt; cornea fere, inprimis in animalibus maioribus, tenacitate, quae, niſi vi adhibita, acie ſcalpelli pertundi non poteſt, vt vix ſatis mirari liceat, quomodo BRIGGSIVS (*d*) illam negare & VERHEYENIVS (*e*) circa illam dubitare potuerit. Multis enim modis & robore & craſſitie ſuperat non ſolum laminam exteriorem lentis ſed ipſam quoque tunicam vitream integram, vt vix ac ne vix quidem ab altera tantum eius lamina adeo multum tenuiore repeti poſſe videatur (*f*). Pars autem poſterior anteriori multo certe tenuior, mollior & infirmior eſt, quae in homine non ita luculenter, in boue facilius oſtendi poteſt. In oculis enim bubulis capſulam illam, vnde ipſa ſubſtantia cryſtallina extruſa fuerat, ſpecillo immiſſo, tanquam ſacculum inanem, hinc aut illinc attollendo, facile demonſtrare poſſumus; ſed interdum quoque mihi contigit, vt humorem vitreum, integra membranula, qua includitur, a capſulae parte poſteriore ſeparare potuerim, qua praeparatione ſatis apparuit, cellulositate vera vtramque tunicam arctiſſime inter ſe coniungi (*g*). Vt autem lens cryſtallina eo facilius & tutius in ſua ſede contineri poſſit, in capſulae partem anteriorem vltra circulum maximum, quod, conſentiente Ill. HALLERO (*h*), certiſſimus affirmare auſim,

(*c*) PETITVS in homine illam partem anteriorem interdum minus pellucidam eſſe dicit, quam poſteriorem, quod quidem diſcrimen obſeruare non potui. Vid. *Mem. Acad.* 1730. *p.* 437. quae tota commentatio hic legi meretur.

(*d*) *Opthalmogr. cap.* 3.

(*e*) *Anat. corp. hum. L.* I. *Tr.* 4. *c.* 14.

(*f*) Diuerſa illa craſſities idem dubium iam mouit MORGAGNIO *epiſt. cit.* §. 26. Qui illam partem anteriorem pro expanſione tendinea proceſſuum ciliarium habuerint, ſupra iam dixi. *Cap. de choroid. Sect.* II. *de proceſſ. ciliar.* §. V. *not.* a.

(*g*) Conf. MORGAGN. *epiſt.* XVII. §. 25.

(*h*) *Comm. Boerh.* T. IV. §. DXXIV. *not.* b.

ſim, immittitur Zonula illa fibris breuioribus transuerſis ſtricta, ex tunica vitrea orta, quam ſupra nomine coronae ciliaris deſcripſi (*i*). Quae quidem inſertio in partem anteriorem capſulae inprimis contra eos pugnare videtur, qui capſulam lentis duabus lamellis tunicae vitreae ſecedentibus formari perhibent. Niſi enim capſula lentis propria foret tunica, per omne illud ſpatium inter circulum lentis maximum, vbi lamellam poſteriorem tunicae vitreae adnecti affirmant, & inſertionem Zonulae modo dictae, ſiue coronae ciliaris lens nuda eſſe deberet, nec vllo modo impediri poſſet, quo minus flatus ex capſula in canalem Petitianum penetret, quod tamen nunquam contingit. Sed & ipſa illa portio capſulae inter inſertionem Zonulae & circulum maximum ſpecillo attolli poteſt, vt optime inde appareat, nec lentem ab ea parte nudam eſſe (*k*). Num coronae ciliaris membranula ſuper faciem anteriorem lentis producatur, nondum definire auſim, etſi obſeruatio WINSLOWI (*l*), qui capſulae partem anteriorem in duas laminas diuidi poſſe asſerit, eiusmodi propaginem docere fere videatur. Ceterum capſula lentis ſumme pellucida eſt, vt ne arte quidem poſſit opaca reddi, niſi ſpiritui nitri immergatur, nullo autem alio liquore inficitur, ſi experimentis PETITI fides, qui nec vnquam ex morbo capſulam opacam factam ſe vidiſſe affirmat (*m*). Sed repugnant certe obſeruationes aliorum, qui capſulam opacam ex morbo inuenerunt, quales

(*i*) Vid. *cap. de humore vitreo.* §. III. Ne dubium ſuperſit, icone inſertionem illam in partem anteriorem lentis exhibere viſum eſt. vid. fig. canalis Petitiani. *T.* VII. *f.* 1.

(*k*) Diſcipuli ALBINI quoque lenti peculiarem capſulam tribuunt, a tunica vitrea extus forte veſtitam. v. g. LOBE *diſſ. cit.* §. 58.

(*l*) *Tr. de la tete.* §. 236.

(*m*) *Mem. Acad.* 1730. *p.* 443.

les hiſtorias MORGAGNIVS (*n*) & Ill. HALLERVS (*o*) inprimis ex fide dignis Auctoribus collegerunt.

Quemadmodum inter omnia folia lentis liquor aqueus continetur, ita multo luculentius aquula inter capſulam & ipſam ſubſtantiam demonſtrari poteſt, quae STENONI (*p*) in piſce carcharia iam viſa, hoc ſeculo a MORGAGNIO (*q*) & PETITO (*r*) in aliis quoque animalibus indagata, & inprimis a PETITO accuratiori examini ſubiecta fuit. In omnibus fere adeſt animalibus pellucidiſſima, maiori copia in parte anteriori lentis, quae rupta capſula ſtatim erumpit, qua demum in cadauere emiſſa capſula collabitur; illius autem ſecretione in viuo homine inflammatione aut obſtructione vaſculorum prohibita, lens ipſa ſicca fit, opaca, & capſulae adhaeret (*s*), vti arctiſſime illi agglutinatur, ſi in ſpiritu vini ſeruata fuerit, vt capſula integra a lente vix vnquam detrahi poſſit.

§. IV.

Vaſcula lentis.

Obſeruationes meas circa vaſcula lentis factas hic addere viſum eſt, quae cum minima ſint, & in ſtatu naturali liquorem tantum pellucidum vehere videantur, mirum non eſt, illa veteribus ignota plane fuiſſe; & GALENVS non adeo imperite vaſcula lenti data eſſe negat (*t*), quae nempe conſpici poſſint. Nec vix quemquam inueniemus, qui illa obſeruauerit, antequam artificium, vaſcula materia ceracea replen-

(*n*) *Epiſt.* XVIII. §. 19. ſqq.
(*o*) *Comm. Boerhaav.* T. IV. §. DXXIV. *not.* b.
(*p*) *Libr. cit. p.* 102. 141.
(*q*) *Aduerſ. anat.* VI. *Animaduſ.* LXXI. & *Epiſt.* XVII. §. 32.
(*r*) *Mem. Acad.* 1730. *p.* 445. *ſqq.*
(*s*) Vid. PETIT. *loco modo cit.* p. 448.
(*t*) *De vſu part. L.* X. *cap.* I.

replendi, innotuerit, & Anatomici ſubtiliora quoque vaſcula rimari coeperint, ſi ab Anglo illo ALLEN MOVLINS diſcedamus, qui primus vaſorum lentis inuentor, vaſa a choroide lentem cryſtallinam adeuntia ex animalibus deſcripſit (*u*). Noſtro tempore frequentiores occurrunt obſervationes vaſorum lentis, poſtquam materiam ceraceam in ſubtiliſſimas vaſculorum propagines adigere didicimus. Parum tamen tribuere velim vaſis illis cryſtallini, quae HOVIVS (*x*) per proceſſus ciliares adducit, & per ipſam ſubſtantiam interiorem lentis diſperſa nimis ramoſa & conſpicua depingit, vt fides huius obſeruationis non immerito a PETITO in dubium vocata fuiſſe videatur (*y*). RVYSCHIVS quidem vaſa lentis olim negauerat (*z*); fidus tamen & ſimplex naturae ſcrutator illa admittit, ſerius in oue ſanguine ſponte plena reperta, &, vt eo maior foret experimento fides, arteriolae in parte poſteriori ſibi viſae iconem exhibuit (*a*). Ipſe quidem PETITVS (*b*) vaſcula ex ciliari corpore profecta, & per anteriorem lentis capſulae faciem ludentia deſcribit, viſa tam in foetibus humanis, quam in fele & piſcibus, quae non ſolum inflammatio, ſed & ipſa iniectio retexit. Nunquam autem quauis diligentia vſus potuit vllum vas intra cryſtallinum inuenire, quin ne minimam quidem fibram in equorum, neque in magnorum piſcium oculis, quae inter cryſtallinum eiusque tunicam duceretur. Quamobrem cum ANTONIO MAITREIEAN (*c*), qui iam ante illum vaſcula ipſam ſubſtantiam lentis adeuntia negauit, qualia tamen in capſula lentis agnoſcit,

(*u*) Quem citat Ill. HALLERVS *deſcript. arter. oculi. p.* 48.

(*x*) *Libr. ſaepe cit. p.* & *T.* V. *f.* 4.

(*y*) *Loco cit. p.* 442.

(*z*) *Epiſt. probl.* XIII. *p.* 10.

(*a*) *Theſ.* II. *Arc.* IV. *Tab.* I. *fig.* 8.

(*b*) *Loco cit. p.* 438. ſqq.

(*c*) *Libr. cit. cap.* XI.

ſcit, PETITVS ſtatuere maluit, ex omnibus corporis noſtri partibus vnum eſſe cryſtallinum, qui nullo modo per fibram aut vas aliquod proximis partibus continuetur; ſed eius forte eſſe indolis, vt, imbibendo laticem per ea vaſcula in capſulam lentis illatum, & ſub ea effuſum, peculiari plane modo nutriri, & vegetantem tantum vitam viuere videatur. Sed recentiorum obſeruationes euicerunt, vaſcula non ſolum ad capſulam deferri, ſed per illam ad interiorem lentis ſubſtantiam penetrare. Sic ipſe WINSLOWVS (*d*) affirmat, ſubtiliſſimas iniectiones ſibi aliquando ſic ſucceſſiſſe, vt vaſcula ipſam lentis cryſtallinae ſubſtantiam penetrantia inuenerit. Inprimis autem obſeruationes ALBINI nobis de huius rei veritate perſuadent, qui illa ex duplici fonte deriuat. In balaenae enim oculo iam olim teſtibus Ill. HALLERO (*e*) & MOEHRINGIO (*f*), vaſa ex proceſſibus ciliaribus ad lentem venire, & a parte poſtica per eius ſubſtantiam ramoſa ſeſe diſtribuere vidit & demonſtrauit; Recentiori autem tempore in ipſo oculo humano feliciſſimis iniectionibus detexit ramulum, ortum ab arteria centrali retinae, qui per ipſum humorem vitreum recta antrorſum tendit, & in parte poſteriori capſulae in multos ramos diuiditur, quorum multi ſurculi ad interiora vsque lentis ſe demergunt, cuius obſeruationis Regia Medicorum Edinburgenſium ſocietas (*g*), & inter diſcipulos ALBINI LOBÉ (*h*), CAMPER (*i*), HEVERMANN (*k*) mentionem faciunt; vti MOELLER (*l*) eandem ſibi in fetu canino viſam fuiſſe affirmat.

Nec

(*d*) *Tr. de la tete.* §. 301.

(*e*) *Comment. Boerh.* T. IV. §. DXXIV. *not.* g. & *deſcr. arter. oculi.* p. 49.

(*f*) *Diſſ. de viſu.* p. 52.

(*g*) *Med. Eſſays Vol.* I. *p.* 337.

(*h*) *Diſſ. cit.* §. 60.

(*i*) *Diſſ. cit. cap.* II. §. II.

(*k*) *Phyſiol.* T. II. *p.* 891.

(*l*) *Diſſ. cit. n.* XXI.

Nec alia vidiſſe videtur AMBROSIVS BERTRAND (*m*), qui deſcribit arteriolas parum ramoſas, quae a vaſculis retinae per vitrei corporis cellulas ad lentem vsque protrahantur; etſi idem ille alia aliqua vaſcula ex interna parte vueae membranae in lentis cryſtallinae capſulam, eiusque ſuperficiem anteriorem deducat. SENNAC (*n*) in oculo equino vaſculum per lentis ſubſtantiam diffuſum vidit. Ill. HALLERVS (*o*) vaſcula ex proceſſibus ciliaribus ad lentem ramoſa delata ſe reperiſſe teſtatur, & arteriam ex centrali natam agnoſcit. Aliquoties mihi quoque contigit, vt in oculi vitulini conuexitate poſteriori viderem arteriolam ſanguine plenam, quinque aut ſex trunculis in ipſa capſula terminatam, quorum trunculus non in medio, ſed propius ad latus abruptus fuerat; & in oculis catulorum modo enixorum optime nunc video arteriolam ex centrali ortam & ſanguine rubro plenam, quae per medium humorem vitreum, cui in itinere tenuiſſimos ramulos tribuit, recta ad lentem defertur, & in parte poſteriori capſulae in nonnullos ramulos diuiditur; qui tenuioribus ſurculis in ipſam lentis ſubſtantiam penetrant. Quas obſeruationes egregie confirmat praeparatum elegantiſſimum arteriae lentis, quod in Theſauro anatomico LIEBERKÜHNII vidi, vbi vi feliciſſimae iniectionis in parte poſteriori capſulae innumeri fere apparent ramuli, in tenuiſſimos ſurculos diuiſi, & radiorum inſtar ex trunco orti, qui propius ad marginem lentem adiiſſe videtur (*p*). Optime autem placet obſeruatio arteriolae lentis, in oculo

(*m*) Monente HALLERO. *deſcr. art. oculi. p.* 43. 48. BERTRANDI enim libro non ſine dolore careo.

(*n*) *Libr. cit. p.* 694.

(*o*) *Prim. lin. Phyſiol.* §. DXVIII. & *deſcr. art. oculi. loc. cit.*

(*p*) Iconem huius arteriae ab ipſo humaniſſimo LIEBERKÜHNIO donatam exhibeo. *Tab.* VII. *f.* 2. 3.

culo infantis, cuius vaſa cera optime erant repleta, ſumma voluptate mihi viſae, quam prope marginem ad convexitatem poſteriorem delatam, duobus ramulis perforata capſula in ipſam ſubſtantiam lentis profunde ſe inmergentem certiſſime conſpexi (*q*); etſi aſſerere non audeam, vnde illa arteriola ad lentem peruenerit, quae in lente iam depoſita & ab humore vitreo ſoluta mihi occurrit. Cum autem obſeruationes RVYSCHII, ALBINI, MOELLERI, & meae denique in oculis humanis, ouillis & caninis factae in eo conſentiant, in parte poſteriori capſulae ex trunco a margine remoto ramulos in omnem ambitum fuiſſe diffuſos, ad credendum fere adducor, arteriolam illam ex centrali retinae ortam parti poſteriori lentis inſeruire, vti ſecundum experimenta PETITI, BERTRANDI & HALLERI, per ligamenta ciliaria ad partem anteriorem venire videntur. Venulas, quas adeſſe nemo dubitauerit, equidem nunquam vidi, & arteriarum comites eſſe crediderim.

(*q*) Nonnullas harum obſeruationum iam attuli in *epiſt. de vaſis ſubtilioribus oculi. p.* 25.

CA-

CAPVT. VI.

DE

HVMORE AQVEO.

§. I.

Humoris aquei ſedes in duas cauitates diuiſa.

Supereſt adhuc humor aqueus, qui continetur in ſpatio triangulari curuilineo, quod inter lentem, partemque vicinam corporis ciliaris, & inter corneam intercedit. Spatium illud diuiditur media iride in humore aqueo fluitante, in duas alias cauitates, quas cameras dicunt, quae per pupillae foramen inter ſe communicant, quarum poſterior minor inter iridem & lentem, anterior maior inter iridem & corneam intercipitur. In definienda harum cauitatum magnitudine multum a recentioribus laboratum & diſputatum fuit, poſtquam opinio VESALII & aliorum veterum, qui dimidiam oculi partem humori aqueo aſſignauerant, omnino iam obſoluerat. Cum enim ineunte hoc ſeculo ob illas de vera cataractae ſede controuerſias Anatomici quaererent, quanta eſſet anterior, quanta poſterior humoris aquei camera; & plurimi ex poſterioris camerae exilitate validum contra membranaceam cataractam argumentum peterent; WOOLHOVSIVS (*a*) inprimis, cameram poſteriorem maiorem eſſe ſtatuens, Anatomicos excitauit, vt hanc in rem accuratius inquirerent. WINSLOWVS (*b*) ergo, HEISTERVS

(*a*) In variis ſcriptis, e. e. *diſſert. de cataracta & glaucom. contra ſyſtema Briſſaei* &c.

(*b*) *Mem. Acad.* 1721. *Tr. de la tete.* §. 239.

STERVS (*c*), PETIT (*d*), MORGAGNIVS (*e*) & HALLERVS (*f*) tum in oculis animalium, tum in oculis humanis congelatis & recentibus experimenta inſtituerunt, quae omnia in eo conſentiunt, cameram poſteriorem conſtanti lege ſemper eſſe multo minorem quam anteriorem. Quin WINSLOWVS (*g*), SENNAC (*h*), LIEVTAVD (*i*), eo vsque ſunt progreſſi, vt cameram poſteriorem omnino negarent, ipſumque iridis tergum lenti contiguum incumbere, & inde antrorſum conuexum eſſe crederent. Etſi autem ipſe PETITVS fateatur, vi congelationis ſitum partium intra oculum nimis mutari, neque facile eſſe, a glacie tuto concludere (*k*); optime tamen euicit, in ſtatu naturali iridem ſemper ſpatio quodam a lente cryſtallina dirimi, nec vnquam illi absque medio inniti, niſi euaporata magna humoris aquei parte, qui humor a morte continuo & celeriter etiam in ipſo frigore exhalat (*l*). Cum PETITO hic conſentiunt MORGAGNIVS, HEISTERVS, Ill. HALLERVS, qui cameram poſteriorem ſemper adeſſe inuenerunt, etſi illam multo quam anteriorem minorem eſſe, facile concedant. Nec certe procliue eſt intelligere, qui fieri poſſet, vt, cum iris tam crebro agitetur & moueatur, pigmentum atrum ab iridis tergo non abſtergatur, ſi lentis faciei anteriori incumberet & inniteretur. Obſeruationes denique, quibus, foramine pupillae membranula clauſo, in poſteriori camera magna pars aquae inuenta fuit, inprimis in fetu, vbi morbus accuſari non poteſt (*m*), cameram poſteriorem adeſſe ita demonſtrant, vt vix dubitationi locus relinqui videatur. Vix autem ſine laeſione iridis lens deponi poſſet, niſi inter vtram-

que

(*c*) *Compend. Anat. not. n.* 51.

(*d*) *Mem.* 1723. 1728.

(*e*) *Epiſt.* XVII. §. 18. 19.

(*f*) *Comm. Boerh. T.* IV. §. DXXVI. *not.* a.

(*g*) 1721. *p.* 317.

(*h*) *Anat. d'Heiſter. p.* 693.

(*i*) *Eſſ. anat.* 128. 131.

(*k*) *Mem.* 1723. *p.* 52.

(*l*) *Mem. Acad.* 1728. *p.* 298.

(*m*) vide §. *ſeq.*

que partem ſpatiolum anguſtum interpoſitum foret, & accuratiſſimis demum menſuris reperit, camerae anterioris altitudinem circiter duas tertias partes lineae, poſterioris vix quintam lineae partem attingere (*n*). Facile autem apparet, nunquam in illa difficultate experimenti, & varietate hominum certi quidquam determinari poſſe (*o*). In meis quidem experimentis camerae poſterioris glaciem multo ſemper tenuiorem, quam anterioris inueni, & facile video, altitudinem illius in homine viuo multo adhuc minorem eſſe debere, quum humor vitreus, multo magis quam aqueus, congelatus ſe expandat, & corpus ciliare & ipſam iridem antrorſum vrgeat, & a lente remoueat. Tota illa cauitas in adulto plerumque quatuor aut quinque circiter grana humoris aquei continet (*p*). In fetu plane aliter ſeſe res habet. In illis enim cornea multo quam in adulto craſſior & parum ab iride remota cauitatem humoris aquei ita diminuit, vt ad ſummum granum & dimidium, plerumque granum vnum, pondus illius attingat (*q*). In ſtatu naturali cauitas illa ſemper pleniſſima, quae perpetuo & vi vndique aequa corneam antrorſum vrget & extendit (*r*); ſi vero in moribundis ſenſim deficiat, cornea flaccida collabitur, viſus hebeſcit, & aegri queruntur, ſe nihil diſtincte, ſed omnia quaſi per nebulam videre poſſe.

§. II.

(*n*) 1721. *p.* 318 1723. 1728.

(*o*) Certam & definitam huius camerae dimenſionem vix poſſe conſtitui, fatetur MORGAGNIVS *Epiſt.* XVII. §. 19. & Ill. HALLERVS *Comm. Boerh. T.* IV. §. DXXVI. *not.* a. Inter icones, quae ad proportionem vtriusque camerae exprimendam, factae ſunt, proxime ad fabricam humanam accedere videntur, icon Morgagniana ab HEISTERO *Compend. Anat.* inſerta *T.* IV. *f.* 19. illa a SHARP facta *Treatiſe on the operations of Surgery. T.* X. *f.* D.

(*p*) *Mem. Ac.* 1728. *p.* 221. 1727. *p.* 248.

(*q*) 1727. *loc. mod. cit.*

(*r*) BOERHAAV. *Prael. Acad. T.* IV. §. DXXVI. *p.* 181.

§. II.

Natura & fontes humoris aquei.

Humor ille aqueus in adulto homine ſemper eſt pelluicidiſſimus, neque ſubſidens quidquam demittit, aut maculam concipit; in fetu autem turbida & rubella (*s*), vti cornea & humor vitreus eodem ſucco rubello turgent, quae intra menſem fere poſt partum, omnibus particulis turbidis depoſitis, ſummam pelluciditatem acquirit. Nonnulli tamen in ſenibus hunc humorem paulatim opaciorem reddi viderunt (*t*). Fluidiſſimus demum eſt humor aqueus, qui celerrime per corneam in auras exhalat, neque ab igne, neque a vini ſtillatitio liquore cogi poteſt. Simpliciſſimus ergo, & cum perſpirabili Sanctoriano & lacrimis prae omnibus reliquis corporis humani liquidis maxime aqueus; ipſa tamen aqua paulo denſior, nempe qui ex ſanguine animali, cui in omnibus partibus viſcidi & glutinoſi quidquam ineſt, ſecernitur. Inde non adeo mirum, quod ſalia ſibi admiſta habeat, qui ſalem lixiuum relinquit, ſi pars aquea in auras euolauerit (*u*). Adeo facile & cito gelu concreſcit, vt non videam, cur BRISSEAV (*x*) illum congelari negauerit; Congelatione tamen multo minus quam

(*s*) PETITVS *Mem.* 1727. inquirens, cur infantes recens nati obſcure videant, vnice craſſitiem & flacciditatem corneae minimae copiae humoris aquei iunctam accuſat. Sed omnino hic quoque conſiderari merentur, opacitas illius humoris, cornea, humor vitreus, & ſaepe capſula lentis ſucco rubello ebria. Praeterea in plurimis animalium maiorum fetubus pupilla peculiari illa membranula, quam pupillarem dicunt, iridi continua clauditur, quam his diebus quoque in fetubus quatuor caninis egregie vidi, etſi illi palpebris conglutinatis naſcantur.

(*t*) e. g. NVCK. *cap.* 3.

(*u*) vid. *Comm. Boerh. T.* IV. *p.* 177.

(*x*) *Libr. cit. p.* 12.

quam humor vitreus expanditur, qui in maiori gelu aliquam partem cauitatis humoris aquei occupat, vt cornea ſumme inde expandatur. Vix vnquam tamen in vnam continuam molem concreſcit, quae figuram huius cauitatis exprimat, ſed ſemper plures maſſulae gelidae incertae figurae & magnitudinis inueniuntur, quae facilius quam ſegmenta gelida humoris vitrei calore ſolui poſſe videntur. Continuo fonte ſecernitur & renouatur, vt ex notiſſimis & plurimis illis obſeruationibus apparet, quibus conſtat, humorem aqueum, qui per vulnuſculum corneae inflictum effluxit, vt oculus collaberetur, intra quadraginta & octo horas, perfecte renaſci, & oculum illo, vt antea, repletum inueniri (*y*). Circa fontes huius humoris ineunte hoc ſaeculo non parum diſputatum eſt. NVCKIVS enim peculiares ductus, qui illum adferant, ſe inueniſſe credebat, quod inuentum ita ſibi placuit, vt peculiari libello de vaſis illis ſecretoriis agere ſibi videretur (*z*), vbi praeter alios RVYSCHIVM (*a*) adſeclam ſibi habuit. Poſtquam autem ipſo iam NVCKII tempore CHROVET peculiari libello (*b*), oſtenderat, ductus illos eſſe arterias rubro ſanguine plenas, & alii Anatomici hoc aſſertum obſeruationibus ſuis confirmauerant; inuentum NVCKII nunc ab omnibus deſertum eſt, & lis illa plane obſoluit. Inprimis autem Ill. HALLERVS (*c*) demonſtrauit, NVCKIVM nihil aliud niſi arterias ciliares longas vidiſſe, quae in brutis animalibus, vt repetita experimenta me docuerunt, ſcleroticae partem corneae proximam perforant, & circulum in iride faciunt. Optime autem NVC-

KIVS

(*y*) Fuſiorem huius rei hiſtoriam vid. in *Comm. Boerh. T.* IV. §. DXXVI. *not.* f.

(*z*) Cui titulus *Tractatus de ductibus oculorum aquoſis*. Huc quoque pertinet *defenſio ductuum aquoſorum*.

(*a*) *Epiſt.* XIII. *p.* II. *Theſ.* II. *Aſſ.* I. *n.* 10.

(*b*) *De tribus oculorum humoribus.*

(*c*) *Deſcript. art. oculi. p.* 45.

KIVS (*d*) refutat glandulas, quibus nonnulli ſecretionem humoris aquei deberi crediderunt, quae ex ſolo ingenio fictae, nulli vnquam Anatomicorum obſeruatae ſunt. ST. YVES (*e*) illum ex cellulis vitrei humoris & ipſa lente prouenire, & per tunicas harum partium exteriores transſudare credidit (*f*). Sed inter humorem vitreum & cameram poſteriorem humoris aquei vbique intercedit corpus ciliare ipſam lentem conſcendens, vt ne minimum quidem adſit ſpatium, vbi poruli tunicae vitreae, ſi qui forent, in cauitatem humoris aquei liquidum deponere poſſint; & praeterea repugnat analogia reliquorum humorum aqueo ſimilium, qui omnes ex vltimis arteriolis generantur (*g*). Et omnes fere nunc Anatomici in eo conſentiunt, vltimis villis arteriolarum ſecretionem illam perfici, quae quidem vaſcula ſecretoria plurimi certe, vti HOVIVS (*h*) de la CHARRIERE (*i*), LOBE´ (*k*), HEVERMANN (*l*), in anteriori facie iridis poſuerunt. Etſi autem facile concedam, aliqua ex parte fontes humoris aquei in iride eſſe; quod paucae illae guttulae humoris aquei ſuadent, quae in oculo fetus,cui foramen pupillae membrana pupillari adhuc clauſum, in camera anteriori inueniuntur. Multa tamen ſunt, quae mihi perſuadent, maximam partem humoris aquei ex villis arterioſis proceſſuum ciliarium prouenire, vti Ill. HALLERVS (*m*) iam ſuſpicatus eſt. In proceſſibus enim ciliaribus multo plura ſemper deprehenduntur vaſcula, quam in iride, vt in eodem oculo vaſcula iridis rara & inter ſe remota appareant, cum proceſſus ciliares iis plurimis & denſiſſima

(*d*) *Loco cit. p.* 100.

(*e*) *Libr. cit. c.* VI. *p.*

(*f*) Huic ſententiae quoque fauet PETIT in PALFYN *Anat. Chirurg. Tom.* II. *p.* 431. & BONHOMME. *libr. cit. p.* 144.

(*g*) Hanc quoque opinionem refutat Ill. HALLERVS. *Comm. Boerh. loc. cit. not.* f.

(*h*) *Libr. cit. p.* 26.

(*i*) *Anat. de la tete. p.* 278.

(*k*) *Diſſ. cit.* §. 65.

(*l*) *Phyſiol. T.* II. §. 745.

(*m*) *Deſcr. art. oculi. p.* 48.

ma ſerie ſibi inuicem oppoſitis ſcateant, vt vix plura recipere poſſe videantur. Sed ipſi quoque flocculi longiores, quos vaſcula illa emittunt, in extremitate proceſſuum ciliarium libera & lenti incumbente, albi, nec atro humore obfuſcati, ſecernendo illi humori multo aptiores eſſe videntur, quam flocculi iridis in parte poſteriori atro muco obducti, in anteriori non adeo vaſculoſi, quam ex ſubtiliori celluloſa conflati. Praeterea adſunt obſeruationes, quales adfert MERY (*n*) BONHOMME (*o*) & alii, quibus conſtitit, in adulto homine foramine pupillae membranula quadam clauſo, in camera anteriori vix quidquam humoris aquei fuiſſe inuentum, cum camera poſterior eodem liquore plena turgeret, & Ill. HALLERVS (*p*) in oculo fetus, vbi membranam pupillarem demonſtrauit, vidit bullam membraneam, quam impellebat humor aqueus, in camera poſteriori ſatis magna copia effuſus, qui pupillarem membranam, qua ab effluxu coercebatur, antrorſum vrgeret. Hanc viam facile ſequuntur liquores ſubtiliores anatomicorum, vti de oleo terebinthinae cinnabari tincto, nulli facile, qui exercitiis anatomicis adfuit, ignotum erit, & idem alii de atramento narrant: ſed & argentum viuum ſaliuationis cauſa adhibitum & ſanguini immiſtum, teſte WOOLHOVSIO, in cauitatem humoris aquei interdum exſudat (*q*), & ipſi mihi fere ſemper contigit, cum in animalibus maioribus, boue, veruece, ſue, vaſa oculi mercurio replerem, vt ille ſatis magna copia in humorem aqueum viam ſibi faceret; etſi ipſa vaſcula iridis ad ſurculos tenuiſſimos vsque mercurio turgentia ſe ſiſterent.

(*n*) *Mem. Acad.* 1707. quae quoque citatur in PALFYN. *Anat. loc. cit.*

(*o*) *Loc. cit. p.* 144.

(*p*) *Opuſc. anat. p.* 341.

(*q*) Conf. hic HALLERVS. *locis citatis.*

rent. Quemadmodum autem perpetuos fontes, qui humorem aqueum ſuggerant, adeſſe experientia docet; ita plurima demonſtrant experimenta & obſeruationes, eundem humorem aqueum magna ex parte venis bibulis iterum reſorberi; & ipſum ſanguinem in cauitatem humoris aquei effuſum, & ſenſim diſcuſſum ſaepe a venulis illis excipi, vt huic humori ſumma limpiditas reſtituatur (*r*). Venulas illas & in iride ad oram pupillae vsque & in proceſſibus ciliaribus, in his quidem maiori copia, materia ceracea replere ſaepe mihi contigit, quae in proceſſibus ciliaribus interdum in fetu ipſo ſanguine rubro plenae mihi viſae ſunt. Non ſolum autem per venulas ſuperflua illa humoris aquei copia reſorbetur, ſed magna quoque pars exhalat inprimis a morte per laminas corneae, & aquulam certe, qua celluloſa illis interpoſita ſemper eſt ebria, potius ex cauitate humoris aquei venire, quam ex vltimis vaſculis corneae ſecerni crediderim, quum vaſcula corneae nondum certa fide viſa ſint, & ipſa cornea de epidermidis & vnguium claſſe, tantaeque ſecretioni omnino non apta eſſe videatur (*s*).

(*r*) Plura vide in *Comment. Boerh.* §. *cit. not. n.*

(*s*) Vid. *deſcr. art. oculi. p.* 52.

CA-

CAPVT. VII.

DE ORBITA.

Abſoluta deſcriptione & tunicarum & humorum, quibus bulbus oculi componitur, accedamus ad expoſitionem partium, quae illi circumpoſitae ſunt, & ad illius motum, nutritionem & conſeruationem pertinent. Quum autem omnes illae in communi oſſeo cauo ponantur, orbitae, quo nomine cauum illud inſigniunt, hiſtoriam praemittere viſum eſt, vt reliqua, inprimis ortus & ſitus muſculorum, eo facilius intelligi poſſint. Breuior hic ero, & ea tantum adferam, quae ad rem noſtram faciunt, ne inani opera aliorum verba in librum noſtrum transferre videamur.

§. I.

Caui orbitae deſcriptio.

Poſtquam omnes prioris aeui Anatomici accuratiorem orbitae deſcriptionem neglexerunt; WINSLOWVS primus extitit, qui in eius ſitum, & figuram diligentius inquireret (*a*), quem CAMPERVS ita eſt imitatus (*b*), vt vterque vtiliſſima ex illo examine eliceret, quae & hic vbique conferri merentur.

Orbita ergo dicitur cauum oſſeum, oſſibus nonnullis cranii & faciei interpoſitum, fere conicum, cuius coni apex poſterius, baſis anterius in faciem hiat. Multum tamen a figura conica abludit orbita, nempe quae ſimilis eſt cono recumbenti, & a quatuor lateribus oblique ac inaequa-

(*a*) *Mem. 1721. p. 312. & Tr. de la tete. §. 206.*

(*b*) *Diſſ. de quibusdam oculi part. cap. I.*

liter depreſſo & quaſi complanato, inprimis verſus baſin, vt pyramidalem potius figuram orbita exprimere videatur. In fetu & infante magis complanata eſt, cuius ſectio transuerſalis ellipſin fere refert, in adulto ſectio illa ad figuram circularem propius accedit, ita tamen, vt diameter horizontalis perpendicularem ſemper quodammodo ſuperet. Baſis extrema huius caui conici in priora ampliati, qua foras patet, & a parte ſuperiori & inferiori, limbo oſſeo prominente iterum anguſtatur. Caua illa conoidea ita ſibi ſunt appoſita, vt vertices coni in linea conuergente ponantur, & axis ad baſin perpendicularis cum plano, quod corpus humanum in duas partes aequales, dextram & ſiniſtram diuidit, angulum acutum intercipiat. Sectio nempe ad baſin perpendicularis, quae cauum illud conicum in duas partes aequales, ſuperiorem & inferiorem diuidit, triangulum refert aequilaterum, cuius apex in foramine optico eſt, alterum latus verſus naſum, alterum tempora verſus baſi inſiſtit, & axis perpendicularis extrorſum procurrit, diuergendo ab axi trianguli alterius orbitae. Vtriusque ergo trianguli latera interna in adultis pro parallelis fere ſumi poſſunt; in fetu autem & ipſis ſubiectis adultis robuſtioribus a via parallela paululum deflectunt. In fetu enim, vbi cellulae ethmoideae nondum excauatae, oſſa autem naſi & maxillaria iam formata ſunt, latera illa interna anterius longius inter ſe diſtant, & poſterius conuergunt; in robuſtioribus demum, vbi cellulae ethmoideae ampliores, poſterius longius inter ſe ſunt remota, & anteriora verſus conuergunt. Facile quoque inde patet, marginem anteriorem orbitae a parte interiori prope naſum longius antrorſum produci, ab exteriori vero eundem marginem retrorſum cedere, totumque cauum oblique reſecto orificio in faciem patere. Praeterea triangulum illud ita ſitum eſt, vt vertex ſuperiori loco ponatur, & baſis paululum deſcendat; in fetu fabrica iterum differt, vbi accurate apex trianguli cum baſi in eodem plano horizontali poſita eſſe videtur. Baſis ergo illa ita oblique

ſita eſt, vt a parte interiori anteriora verſus producatur, & ab exteriori retrorſum cedat. Paulo propius nunc examinemus ipſum illud cauum conoideum, ſeu potius pyramidem ex quatuor lateribus inaequalibus compoſitam. Paries ſuperior ſiue lacunar cauatum in arcum ita formatur, vt in medio altiſſimum ad vtrumque latus deſcendat. In adultis ab anterioribus ad poſteriora in plano horizontali ponitur, vt foramen opticum parum ſit inferius margine ſupercilii, in fetu autem idem lacunar ad planum ad lineam horizontalem valde inclinatum retrorſum deſcendit. Pauimentum itidem a parte anteriori, exteriori, vbi pone marginem eminentem proceſſus maxillaris oſſis iugalis foueola infimum locum orbitae occupat, & introrſum & retrorſum oblique adſcendit; vnde facile patet, ſi orbita ſectione horizonti parallela diuidatur, foramen opticum in parte ſuperiori ſitum eſſe, & centrum bulbi oculi in parte inferiore inueniri (*c*). In fetu iterum aliter ſe res habet, vbi pauimentum parum adſcendit, ſitum in plano, quod ad lineam horizontalem propius accedit, etſi & ibi introrſum oblique adſcendat. Paries ergo interna ſemper inferius magis extorſum vrgetur, & pauimento orbitae ad angulum valde obtuſum occurrit, quae tamen cum lacunari orbitae angulum fere rectum intercipit, ſi lacunar arcuatum in planum deductum eſſe fingas. Eodem modo paries externa cum lacunari ad angulum fere rectum iungitur, & cum pauimento ad acutum ſatis angulum accedit, vti paries illa inferius quoque introrſum vergit. Cauum ergo orbitae pyramidem fere refert, ex quatuor lateribus inaequalibus compoſitum, cuius latus ſuperius latiſſimum, inferius anguſtiſſimum, exterius quoque interiori multo latius deprehenditur. In homine vndique clauſum eſt, poſterius tantum & exterius magnis fiſſuris interruptum. In animalibus autem pleriſque paries externa maxima

(*c*) Idem quoque monuit CAMPERVS *loc. cit.* §. 9.

xima ex parte deficit, vbi ſola membrana cauum orbitae a muſculo temporali ſeparatur.

§. II.

Oſſa, quae orbitam componunt.

Primum os, quod ad orbitam formandam pertinet, & inprimis eius lacunar conſtituit, eſt os frontis (*d*). Pars enim illius orbiculata, a parte priori & inferiori exigit vtrimque ſupercilia firma & arcuata, prope naſum obtuſiora, ibi excipientia proceſſus frontales oſſis maxillaris, vt vix ibi vltra lacunar orbitae emineant; in exteriorem partem longe deorſum ducta, acuta, multum eminentia, oſſibus malae iuncta. Ab illis ſuperciliis retrorſum ducitur lamina tenuis, lata, ſolida, qua orbitam reſpicit, laeuis & excauata, alio in loco craſſior, in alio tenuiſſima & pellucida, poſterius anguſtior, qua cum ora anteriori proceſſus ſuperioris oſſis ſphenoidei iungitur. Non ſolum autem maximam partem lacunaris orbitae perficit, ſed etiam in latere interno anterius deorſum ducta non parum deſcendit, vbi oſſi vnguis & plano iuncta aliqua ex parte parietem internum format, & a parte externa, itidem deorſum ducta alae magnae oſſis ſphenoidei, & anterius adhuc magis deſcendens oſſi iugali occurrit. Varia in hac oſſis frontis parte adſunt foramina & depreſſiones. Primum anterius ſupercilii pars naſo propior, obtuſior, ſemper inſculptum ſibi habet ſulcum, interdum ſatis profundum, interdum leuiorem, qui ſaepe in verum foramen abit & vaſa neruosque ad frontem emittit, cui vicina eſt leuis eminentia cum depreſſione pro trochlea. Ipſi demum laminae orbitariae in parte exteriori & anteriori impreſſa eſt foueola parum profunda, in omnibus,

(*d*) Conf. hic vbique ALBINI deſcriptio horum oſſium in libello vtiliſſimo *de oſſibus corporis humani.*

bus, ſaniſſimis licet cadaueribus ſemper aſperiuſcula (*e*), quae glandulam lacrymalem excipit. In ea demum parte, qua cum oſſe plano coniungitur, loco anteriori inuenitur ſemper foraminulum, in omnibus, fere ſubiectis ſoli oſſi frontis proprium, per quod arteria & vena ethmoidea anterior & ramus naſalis rami opthalmici nerui quinti paris ad narium interiora transmittuntur. Foramen enim ethmoideum poſterius plerumque oſſi frontis cum oſſe plano commune eſt, ſaepe tamen in ſolo oſſe frontis exſculptum, interdum duplex, poſitum in parte poſtrema laminae orbitariae, prope os ſphenoideum. Omitto foraminula incerta pro arteriis oſſis nutritiis.

Alterum os, quod fundum oculi, aliquam partem lacunaris, parietis internae, & externae conſtituit, eſt os ſphenoideum. Primum ad orbitam pertinent proceſſus tenues, a baſi latiori in acutum abeuntes, & recta fere in latus tendentes, qui facie ſua ima & extrinſeca oculorum cauis ita ſupereminent, vt partem poſteriorem lacunaris orbitae perficiant, ab ea parte nexi oſſi frontis, vti in latere interno oſſi plano ipſum huius oſſis corpus iungitur, & partem poſtremam parietis internae conſtituit. Proceſſus illi tenues cum ipſa baſi oſſis ſphenoidei conſtituunt foramina optica, quae incipiunt in cranio foramine oblongo & complanato, ita vt pars ſuperior planior, inferior magis ſemiorbicularis ſit. Margo ſuperior cuiuscunque foraminis optici in aciem procurrit, & cum parte rotunda inferiori & ipſo corpore huius oſſis vtrinque intercipit ſulcum, cui dura mater cum neruo optico foramen ſubitura arcte adnectitur, qui nunquam autem, quod plurimi docuerunt anatomici, arteriam opthalmicam excipit, quae arteria ſemper infra neruum per foramen

(*e*) Monere hoc viſum eſt, quod in libro nouiſſimo aſperitas illa nimis acri ſero glandulae lacrymalis externam laminam oſſeam arrodenti tribuatur.

men opticum in orbitam penetrat, vt a ſulco illo, quem pro diuerticulo huius arteriae habuerunt, vltra dimidiam lineam remota eſſe videatur (*f*). In fetu foramen illud multo magis in transuerſum ductum, & magis irregulare ac in adulto eſt. Foramen illud in adulto per craſſitiem oſſis in priora & exteriora procedit, & ſimul paululum deſcendit, & tandem ad poſteriora fundi orbitae patet orificio ita oblique reſecto, vt paries ſuperior & interior longius anteriora verſus producantur, inferior autem & exterior citius deſinant, & pars demum orae illius, quae fiſſuram ſphenoideam reſpicit, omnium maxime ſit poſtrema. Diuiditur foramen opticum oſſeo margine, lineam fere craſſo, a fiſſura ſphenoidea, quae ad latera baſeos oſſis multiformis, ſub proceſſibus huius tenuibus, inter eos & proceſſus eiusdem laterales incipit principio quodam modo orbiculato; adſcendendo autem in latus & paulum priora verſus in rimam anguſtiorem contrahitur, & appoſito tandem oſſe frontis terminatur. Principio illo orbiculato fiſſurae ſphenoideae, in parte illius intima infra foramen opticum inſculptus eſt ſulcus, interdum ſatis profundus & fere ſemicanalis, qui ab ea parte oſſis ſphenoidei, quae cranii cauitatem reſpicit, anteriora verſus procurrit, & in itinere ſenſim auctus in fundum orbitae foras patet, qui recipit ligamentum commune, ex quo tres muſculi oculi oriuntur. Per ipſam autem fiſſuram ſphenoideam tranſeunt neruorum paria tertium, quartum, ſextum, primus ramus quinti paris, vena opthalmica & arteriola meningea ad orbitam. Parietis demum orbitae exterioris maximam partem conſtituit proceſſus lateralis ex media baſi enati, & in priora & exteriora verſus producti facies interna, laeuiſſima, fere perpendicularis, ex anguſtiori initio lateſcens, ibi fere quadrangula aut rhomboidea, cuius latus poſterius oblique poſitum ad fiſſuram ſphenoideam pertinet, ſuperius impoſito oſ-

ſe

(*f*) Sic ſulcum illum pro diuerticulo arteriae habere videntur ALBINVS *loc. cit.* §. 57. & BOEHMER *Inſtit. Oſteolog.* §. 234.

ſe frontis, anterius oſſe iugali terminatur, inferius autem fiſſura ſphenoidea inferiori ab oſſe maxillari diſtat.

Parietem hanc externam demum perficit anterius pars oſſis iugalis, concaua, laeuis, lata, quae in lunae creſcentis modum a priori gibba parte in orbitae cauum reflexa, ſurſum ad os frontis, retrorſum ad proceſſum lateralem oſſis ſphenoidei, deorſum ad os maxillare progreditur, cum quo non ſolum in cauo orbitae, ſed proceſſu quoque ſuo ſic dicto maxillari, eminente iungitur, & ſic inprimis marginem anteriorem, a parte inferiori & exteriori maxima ex parte conſtituit. In hac parte oſſis iugalis in orbita apparet foramen, quod in canalem ducit, qui neruum ſubcutaneum malae quinti paris emittit.

Pauimentum denique orbitae fere totum facit oſſis maxillaris pars ſupra antrum Highmori, tenuis, plana, laeuis, plerumque ſolida, interdum ex duabus lamellis compoſita, quae inter proceſſum maxillarem oſſis iugalis, & inter os vnguis ex principio anguſtiori lateſcit, accliuis ad partem interiorem & poſteriorem. Iungitur a parte interiori oſſi vnguis, oſſi plano, & demum oſſi palatino, quod exigua parte plana, laeui, portionem poſteriorem pauimenti orbitae perficit. Os illud maxillare cum palatino ſeparatur a proceſſu laterali ſphenoideo fiſſura ſphenoidea inferiori, quae ampla in priora & exteriora ad os vsque iugale procedit, fine latiori ampla terminata. Ab illa fiſſura ante eius finem anteriorem tanquam ramus ſecedit ductus infraorbitalis, in ipſo oſſe maxillari exſculptus, qui primum ſuperius patens in verum demum canalem oſſeum abit. In omnibus fere ſceletis lamina illa oſſea, quae ductui infraorbitali impoſita eſt, ſutura ad oram anteriorem orbitae vsque dirimitur, inter quam ſuturam & ſulcum pro ſacco lacrymali depreſſio in oſſe maxillari obſeruatur, vnde muſculus obliquus inferior originem ducit. Margo demum anterior paululum eminens oſſis maxillaris ante os vnguis adſcendit, vbi aliquam partem du-

ctus lacrymalis facit, & ſenſim explanatus, cum proceſſu oſſis frontis iungitur, & marginem anteriorem parietis internae & ductus lacrymalis conſtituit.

Os enim vnguis, quod anteriorem partem parietis internae format, duplicem habet faciem, ſpina deſcendente acutiori diuiſam, alteram minorem depreſſam, in ſulcum exſculptam, qui ex planiori ſenſim profundior, in verum canalem oſſeum, ab oſſe maxillari factum, terminatur; alteram poſteriorem maiorem, laeuem, planam, inter os frontis, planum & maxillare interpoſitam. Reliquam demum partem parietis internae perficit os planum, lamina nempe ſolida, tenuis, plana, polita, quadrangularis oſſis ethmoidei, quae ſuperius iuncta oſſi frontis, poſterius baſi oſſis ſphenoidei, inferius palatino & maxillari, anterius oſſi vnguis orbitam ab hoc quoque latere claudit.

Cauum illud vndique conueſtitur propagine durae matris, quae cum neruo optico ex cauitate cranii egreſſa ad oram externam huius foraminis in duas diuiditur membranas, quarum altera ad neruum ſe applicans, vaginae in modum illi circumpoſita ad oculum vsque progreditur, altera ex eo diuiſionis angulo extrorſum reflexa, orbitam vndique obducit, & in illius verum perioſtium degenerat, etſi illud oſſibus orbitae minus valenter, quam alibi in corpore humano fieri ſolet, adhaeret, vt tamen inter illud perioſtium orbitae & reliquorum oſſium perioſtia nihil diſcriminis intercedere videatur.

CA-

Capvt. VIII.

DE MVSCVLIS BVLBI OCVLI.

§. I.

Hiſtoria horum muſculorum.

Galenvs (*a*), qui primum muſculos bulbo oculi inſertos in vnum tendinem coniungi docuit, de origine tamen illorum nihil omnino tradidit, & fabrica brutorum male ad corpus humanum translata, illo nempe muſculo ſuſpenſorio conſtantiſſime adnumerato, ſeptem muſculos oculo tribuit, & obliquam ſuperiorem ex magni anguli regione deducit (*b*). Vesalivs, etſi ſaepe galenvm reprehendat, quod animalia tantum ſecuerit, in eundem tamen errorem incidit, qui peſſimo conſilio ad fabricam brutorum eundem muſculum ſuſpenſorium in oculo humano pinxit, & deſcripſit (*c*), vt hanc ob cauſam omnium, qui eo tempore vixerunt, Anatomicorum reprehenſionem incurreret; in eo inprimis taxandus, quod muſculum illum, licet a fallopio monitus, deſerere tamen noluerit; primus tamen originem tam rectorum, quam obliqui ſuperioris a nerui optici inuolucro, & dura matre orbitae deſcrripſit, & fallopii obſeruationibus excitatus trochleam addidit, & reliqua multum correxit (*d*). Optime autem meriti ſunt de hiſtoria muſculorum fallopivs & evstachivs; quorum ille deſcriptione verum numerum ſenarium muſculorum conſti-

(*a*) *De vſu part.* L. X. *c.* 8.

(*b*) *De muſc. diſſ. cap.* 5.

(*c*) *De fabrica corp. hum.* L. II. *c.* XI. *L.* VII. *c.* XIV. *f.* 1.

(*d*) *Examen obſeru. Fallop. p.* 781. *edit. Albin.*

conſtituit, originem tam rectorum quam obliqui ſuperioris & inferioris accurate indagauit, trochleam primus deſcripſit, in decurſu inferioris autem omnino peccauit (*e*). Quae ille deſcriptione, EVSTACHIVS & adhuc meliora quidem iconibus praeſtitit (*f*); verum nempe numerum, originem & inſertionem muſculorum ibi tradidit, trochleam ante FALLOPIVM ſibi viſam primus delineauit, verum decurſum obliqui minoris ſub inferiori recto & intra exteriorem, optime propoſuit, declinaris FALLOPII & VESALII erroribus; circa ſubtiliora quoque ſollicitus, diuerſam longitudinem & directionem rectorum, illorumque & vtriusque obliqui veram inſertionem expreſſit, tendines quidem muſculorum breui ante inſertionem lateſcere, nullibi tamen in vnam tunicam coniungi vidit. In vniuerſum illius figurae ea fide & diligentia factae ſunt, vt, ſi in lucem ſuo tempore prodiiſſent, vel recentiorum inuenta multa occupaſſe viderentur. VIDVS VIDIVS (*g*) poſt EVSTACHIVM trochleam primus pingit. COLVMBVS (*h*) autem muſculos oculi mire confundit, & obliquum ſuperiorem cum palpebrarum muſculis confundere videtur; tunicam innominatam ex tendinum vnione ortam in parte anteriori ſcleroticae finxit. CASSERIVS (*i*) tum ex homine tum ex plurimis animalibus muſculos oculi & quidem in ſitu naturali oſſibus orbitae adfixos primus delineauit, fictitiam tunicam innominatam COLVMBI reiicit; male tamen rectos nimis poſterius inſertos, vti vtriusque obliqui decurſum nimis ruditer repraeſentat. Parum eſt, quod poſt illa tempora ad hoc vsque ſaeculum Auctores addiderunt. FABRICIVS (*k*) tamen & RIOLANVS (*l*) vaginam tendini obliqui ſuperioris trochlea

(*e*) *Obſeru. anat. p.* 711.

(*f*) *Tab. Anat.* XXXIX. *f.* 2. 3. 4. 5.

(*g*) *De anat. Tab.* 78. *f.* 3.

(*h*) *De re anat. L.* V. *c.* VIII. IX.

(*i*) *Pentaiſth. de organo viſus. T.* I. II. III. IV. *L.* V.

(*k*) *De oculo. P.* I. *c.* XI. *P.* III. *c.* XII.

(*l*) *Anthropol. L.* 4. *c.* 4. *in adminiſt. anat.*

lea egreſſi habent, & MOLINETTVS (*m*) rariorem illum trochlearem acceſſorium muſculum memorat. BIDLOI (*n*) figurae vix vtiles eſſe poſſunt, quae muſculos repraeſentant ex orbita euulſos, illorum origine, directione & accurata inſertione omnino neglecta; nec VERHEYENIVS (*o*), cuius tamen figurae in plurima compendia tranſierunt, ad ea, quae a prioribus accepit, quidquam adiecit. COWPERVS (*p*) veram tendentiam muſculi vtriusque obliqui verſus poſteriora poſt EVSTACHIVM reſtituit, & illorum nouum vſum inde deduxit, rectos quidem, vbi in tendines abire incipiunt, nimis anguſtos repraeſentat, optime tamen exprimit, quam longe ipſorum tendines ſcleroticae iam inſerti inter ſe diſtent. VALSALVA (*q*) diligentius ortum muſculorum rimatus optime quidem obſeruauit, muſculos rectos prope originem omnes inter ſe coniungi, annulum autem moderatorem nerui optici, quem a fibris muſculoſis prope ortum circa neruum circumductis, & inter ſe connexis effici tradidit, nullus poſt illum obſeruare potuit. In figura adiecta (*r*) diuerſam craſſitiem, & latitudinem muſculorum bene expreſſit. MORGAGNIVS in priori libro (*s*) fabricam trochleae, & directionem & inſertionem vtriusque obliqui poſt COWPERVM accuratius indagauit, & vaginam tendinis obliqui ſuperioris reſtituit. WINSLOWVS eadem fere propiori examini ſubiecit (*t*) & praeterea diuerſam rectorum longitudinem & directionem verumque ſitum expoſuit, illumque ex ſitu orbitae neceſſarium oſtendit, omniumque partium fuſiores dedit deſcriptiones (*u*). MORGAGNIVS

(*m*) *Diſſ. anat. c.* IV.

(*n*) *Anat. corp. hum. T.* XI.

(*o*) *Anat. corp. hum. Tract.* IV. *c.* XIV. *Tab.* XXVII.

(*p*) *Myot. reform. T.* XXV. *f.* 2. 3. 4. *edit.* 1724.

(*q*) *Diſſ. Anat.* I. §. 25. II. §. 2. 3.

(*r*) *T.* 3.

(*s*) *Adu. Anat.* VI. *animadu.* 77. 78.

(*t*) *Mem. Acad.* 1721. *p.* 311.

(*u*) *Tr. de la tete.* §. 241. *ſqq.*

GAGNIVS demum in recentiori libro (*x*), quae alibi attigerat, confirmauit, & accuratius examinauit, ad decurſum & inſertionem omnium muſculorum, & trochleae fabricam multa adiecit, vaginam celluloſam rectorum, eorumque diuerſam longitudinem & craſſitiem adnotauit, annulum moderatorem nerui optici VALSALVAE, & tunicam innominatam COLVMBI cum VALSALVA refutauit, & omnia doctiſſima hiſtoria critica illuſtrauit. LIEVTAVD (*y*) muſculos oculi non ex vno circulo circa neruum opticum oriri vidit, aliamque eorum originem ad dextrum latus huius nerui propoſuit. Ill. HALLERVS (*z*) & originem & inſertionem muſculorum ſubtiliter rimatus multa hic accuratius definivit. Figurae muſculorum oculi de COVRCELLES (*a*) ſpecioſae quidem, ſed minus accuratae ſunt, minusque diſtincte & originem & inſertionem repraeſentant. Ante omnes hic eminet Ill. ALBINVS (*b*), qui accuratiſſimam deſcriptionem horum muſculorum exhibuit, & omnia iconibus, quae veram fabricam optime repraeſentant, ſumma fide illuſtrauit.

§. II.

De muſculorum origine communi ex fundo orbitae.

Superiori capite iam monuimus, VESALIO (*c*) laudem deberi, quod primus omnium originem muſculorum oculi ex fundo orbitae deſcripſerit, quam demum originem

a FAL-

(*x*) *Epiſt. anat.* XVI. §. 18. *ſqq.*

(*y*) *Eſſ. anatom. p.* 125. *Tab.* III. *fig.* 3.

(*z*) *Comm. Boerh.* T. IV. §. DXXX. *Prim. lin. Phyſ.* §. DXII.

(*a*) *Icon. muſcul. capitis.* T. II. III.

(*b*) *Hiſt. Muſc.* L. III. *cap.* XXIII. XXIV. XXV. *Tab. muſc. hom.* XI. *fig.* XVII-XXVI.

(*c*) *De fabrica corp. hum.* L. II. c. XI.

a FALLOPIO (*d*) confirmatam omnes reliqui Anatomici facile acceperunt. Etſi autem inter ſe differant, quod alii cum EVSTACHIO (*e*) illas vnice a vagina nerui optici, alii a perioſtio orbitae & ipſo diuiſionis durae matris angulo muſculos illos deducant; in eo tamen omnes conſentiunt, muſculos illos ex vno circulo circa neruum opticum oriri, illumque neruum in orbitam intrantem complecti, quae quidem ſententia ad noſtra vsque tempora obtinuit. Vix enim litem illam multum attendendam eſſe cenſeo, qua diſputatur, num muſculi illi a dura matre, an ab oſſe veniant. Hi enim muſculi, vti omnes reliqui corporis humani perioſtio inſeruntur, quod hic minus valenter oſſi adhaeret, aliis autem in locis intimius cum oſſe coniunctum eſt, vt eodem iure ab ipſis oſſibus, vt in aliis muſculis fieri ſolet, quam a dura matre ſiue perioſtio origo illorum deduci poſſe videatur. Primus omnium eſt LIEVTAVD (*f*), qui a communi via ſecedere auſus ortum muſculorum aliter, ſed breuiſſime, ita propoſuit, vt, dum quaedam minora vitia vitauit, in alia maiora incurrere videatur. Docuit enim, quatuor muſculos rectos conum formare, cuius apex centro pupillae reſpondeat, ortumque ducere a membrana, quae partem inferiorem foraminis laceri obturat, obliquum vero maiorem non a fundo orbitae, ſed ad latera nerui optici oriri, vt inter illius & reliquorum muſculorum originem neruus opticus intermedius ponatur. Multo propius ad veritatem accedit Ill. ALBINVS (*g*), qui muſculum attollentem, adducentem, deprimentem, obliquum ſuperiorem & ex parte abducentem, a margine foraminis optici deducit, & attollentem totum, reliquos aliqua ex parte cum vagina nerui cohaerere affirmat. Multa tamen hic ſunt, quae aliter

(*d*) *Obſeru. Anat. p.* 711.
(*e*) *Tab.* XXXIX. *f.* 2. 5.
(*f*) *Eſſ. anat. p.* 125.
(*g*) *Explic. Tab.* XI. *muſc. hom. f.* XVII-XXVI.

liter ſeſe habere, experientia me docuit; quantum vero eius deſcriptiones cum obſeruationibus meis conueniant, ſuis vbique locis docebitur. Generalia quaedam circa ortum horum muſculorum praemittamus. Superiori capite docuimus (*h*), foramen opticum oſtio ita oblique reſecto in orbitam aperiri, vt paries illius oſſea in parte ſuperiori & adhuc magis in parte interiori longius producatur, in parte exteriori & inferiori citius terminetur, & initium rotundum fiſſurae ſphenoideae poſteriorem magis locum, quam foramen opticum occupet. Quum autem dura mater, cum neruo adlata vbique oſſibus immediate adhaereat, fieri omnino non poteſt, quin angulus diuiſionis, qua dura mater in duas laminas ſecedit, ad latus ſuperius & interius loco magis anteriori ponatur, & dura mater ad oram inferiorem & exteriorem citius & poſteriori magis loco in duas laminas diuidatur. Ex hac ipſa autem ſtructura patet, vel ſi, vti hucusque creditum fuit, omnes muſculi oculi ex illo diuiſionis angulo orirentur, illos oriri non poſſe in eodem circa neruum plano, & neceſſario adducentem & attollentem loco magis anteriori originem ducere, adducentem & deprimentem loco multo poſteriori, & vel hanc ob diuerſam originem alterum altero eſſe debere longiorem. Num autem omnes ex duplicatura durae matris circa neruum opticum oriantur, mox videbimus.

§. III.

De ligamento communi, vnde oriuntur muſculi adducens, deprimens, & abducentis caput alterum.

Superiori capite iam monui, principio orbiculato fisſurae ſphenoideae, in parte illius intima infra foramen opticum,

(*h*) *Cap.* VII. *de orbita.* §. 2.

cum eſſe inſculptam crenam, & ſaepe ſemicanalem, qui ab ea parte oſſis ſphenoidei, quae cranii cauitatem reſpicit, anteriora verſus procurrit, & in itinere ſenſim profundior in fundum orbitae foras patet, cuius nullibi mentionem factam fuiſſe video. Canalis ille recipit ligamentum, ſiue tendinem verum ſplendentem ortum ex durae matris illa parte, quae hic oſſibus annexa vna cum neruis fiſſuram illam obturat, & in verum perioſtium degenerare incipit. Tendo ille loco plane recondito deliteſcit ſub faſciculo, quem nervi per hanc fiſſuram in orbitam venientes, ope celluloſae componunt, vt, niſi omnibus illis remotis, in conſpectum veniat, tota craſſitie marginis oſſei a foramine optico ſeiunctus (*i*). Sic in ſulco longe vltra lineae ſpatium anteriora verſus decurrit, &, vbi ad oram internam, qua principium rotundum fiſſurae ſphenoideae orbitam reſpicit, pervenit, ſenſim paulo latior, tribus oculi muſculis, adductori, depreſſori & abductori, ſed huic tantum ex parte, originem praebet (*k*). In loco enim illo obſcuro, multaque fluida fere pinguedine repleto, tendo modo dictus palmatim continuatur in quatuor propagines, quae ipſam muſculorum carnem intercipiunt, vt inter extimam aliamque paulo interiorem caro muſculi abducentis, inter iſtam aliamque adhuc magis interiorem, caro muſculi deprimentis, & inter hanc & intimam caro adducentis contineatur, quarum pro-

pagi-

(*i*) Ill. ALBINVS deſcribit hoc loco ligamentum, quod a latere partis inferioris foraminis optici, qua parte foramen illud reſpicit, quod mox infra illud ſequitur, incipit, indeque pertinet ad oppoſitum ſibi marginem foraminis illius, qua id rotundum eſt, iuxta marginem inferiorem principii rimae, in quam abit. *Myol. Tab.* XI. *f.* 26. *expl. ſub. lit.* c. Idem ligamentum ſed loco inſertionis motum pingit *eadem fig.*

(*k*) ALBINVS ſolum caput maius abducentis & exiguam partem deprimentis ex ſuo ligamento deducit.

paginum illae, quae abducenti & deprimenti, & quae deprimenti & adducenti ſe interſerunt, iterum ſe findunt in duas partes, vt altera propago partim in abducentem partim in deprimentem, & altera iterum partim in deprimentem, partim in adducentem progrediatur. Tendineae hae productiones, vt progrediuntur, latefcunt & extenuant ſe, caro autem intermedia muſculorum mox a tendineo capite incipit, deinde ſenſim in itinere intumeſcit (*l*). Simile & analogum talis ſtructurae exemplum habemus in communi tendineo illo principio ex oſſe humeri nato, vnde extenſor communis digitorum, radialis breuior, vlnaris externus, anconeus & extenſor proprius auricularis oriuntur, a cuius tendinei principii propaginibus, quae ſepimentorum inſtar muſculis ſe interſerunt, ſenſim ſe extenuantibus caro illorum muſculorum oritur (*m*). Communi ergo illa origine perſpecta, ad ſingulos muſculos progrediamur, & primum dicemus de interiori ſiue adducente.

§. IV.

De origine muſculi adducentis.

Carnem huius muſculi modo docuimus contineri inter duas propagines tendineas, quarum altera exterior primum cum propagine tendinea muſculi deprimentis connexa, recta fere a tendine communi antrorſum fertur, & in itinere parum interiora verſus deflectit, nerui optici vaginae non cohaerens; altera autem, quae maxime intima & neruo optico proxima eſt, ſtatim a communi ſuo tendine diſcedit, introrſum & paulum antrorſum, & deinde ſurſum ad latus internum nerui optici tendit ad eum vsque locum, vbi fibrae huius muſculi ſuperiores cum fibris muſculi attollentis cohaerent. Dum propago illa tendinea ſub neruo optico introrſum gliſcit, ad latus eius internum angulo diuiſionis durae matris

(*l*) Vid. *Tab. noſtr.* V. *f.* 3.

(*m*) Conf. accuratiſſimam deſcriptionem ALBINI *Hiſt. muſc.* L. III. *Cap.* CLIV.

matris arctiſſime agglutinatur, vt vix a dura matre poſſit ſeparari. Nulla autem fibra, exceptis ſupremis cum attollente cohaerentibus, nec ex diuiſionis durae matris angulo, nec ex inuolucro nerui oritur, ſed fibrae carneae omnes ex propagine illa tendinea oriuntur, ad quam dum proxime accedunt, & tendineſcere nunc incipiunt, rectum ſuum iter paulo relinquunt, & verſus tendinem illum communem ſeſe detorquent, vt omnes verſus communem originem ferantur, vti fere Palmae, aut alius plantae folia vno verſu diſpoſita ad caulem vergunt; infimae autem ex propagine ſua tendinea recta ſtatim antrorſum decurrunt (*n*). Annon VALSALVA forte muſculi huius fibras carneas rectum iter relinquentes, & verſus deprimentem inflexas vidit, quibus demum annulum ſuum effinxit, quum eiusmodi lineam tendineam, in quam fibrae carneae inflexae deſinerent, neruo optico vndique circumiectam eſſe crederet (*o*)? Linea illa tendinea & inflexio fibrarum a parte interna neruum opticum reſpiciente optime reſpici poteſt, a parte externa autem fibrae carneae recta fere in lineam tendineam inſerere ſe videntur. Ill. ALBINVS (*p*) originem huius muſculi paulo aliter deſcribit, cui duo capita tribuit, alterum craſſum & tendineum, ortum ab inferiori parte foraminis optici & a proxima lateris eius, quo naſum reſpicit, cum neruo nihil cohaerens; quae fabrica deſcriptioni noſtrae originis partis inferioris huius muſculi optime reſpondet; alterum vero caput dicit eſſe gracile, cohaerens cum leuatore, attollente & obliquo maiori, & cum vagina nerui optici connexum. Interuallum autem, quod inter vtrumque caput delineat (*q*), nunquam omnino obſeruaui, ſed ſemper partem inferiorem & ſuperiorem per lineam illam tendineam inter ſe cohaerere,

(*n*) Vid. *noſtr. Tab.* V. *f.* 2.

(*o*) *Diſſert. Anat.* I. *n.* XXIV. XXV. *Diſſ.* II. *n.* 2. MORGAGN. *epiſt. anat.* XVI. §. 18. Sed annulum illum ipſe reiicit amicus MORGAGNIVS. *epiſt. cit.* §. 23.

(*p*) *Tab.* XI. *f.* XXV. *explic.*

(*q*) *Fig. cit. lit.* b.

re, & vnum tantummodo caput, nullo modo diuiſum, efficere animaduerti. Fibrae ergo omnes ortae a linea tendinea, eaeque inflexae, ſuperiores autem & inferiores rectae, & cum vicinis muſculis connexae, ſtatim in muſculum latum, reliquis craſſiorem intumeſcunt, qui inter parietem internam orbitae, & neruum opticum recta antrorſum decurrit, vt vtriusque oculi muſculi adducentes parallelo fere itinere progredi videantur, vti inferius ſtatim fuſius videbimus.

§. V.

De origine muſculi deprimentis.

Inferior originem ſimplicem omnino habet, cuius fibrae nullibi intortae, ſed recto itinere ab ortu antrorſum feruntur. Fibras ergo ſuas carneas colligit, & quidem medias easque plurimas ab ipſo medio tendine communi, laterales autem a tendineis propaginibus, quae ſibi cum duobus vicinis muſculis, abducente & adducente ſunt communes, vt origo quidem huius muſculi ab vtroque latere cum muſculis illis ſit connexa (*r*), nullibi tamen ſub eorum principiis deliteſcat, vti Ill. ALBINO (*s*) viſum eſt. Omnino autem latet ſub vtroque ramo nerui tertii paris, ſexto, & ramo naſali frontalis quinti, in vnum faſciculum coniunctis, quibus ſitu motis, origo inter vtrumque muſculum modo dictum intermedia libere in conſpectum venit; & optime tunc apparet, illam tota craſſitie marginis oſſeae inferioris foraminis optici ab ipſa nerui optici vagina remotam eſſe, nec vnica quidem fibra cum illa cohaerere. Sic tectus muſculus

(*r*) Vid. *Tab. noſtr.* V. *f.* 3.

(*s*) ALBINVS praeterea docet, muſculum hunc exigua tantum parte a ligamento ſibi dicto oriri; altero autem & principio tendineo, & nihil quidquam cum neruo cohaerente ab inferiori margine oſſeo inter foramen opticum & fiſſuram ſphenoideam. *fig.* XXIV. *not.* 2.

lus ramis inprimis tertii paris, & neruo optico extrorſum flexo, recta antrorſum decurrit, & in itinere paululum deſcendit, vbique multa pinguedine ſuffultus.

§. VI.

De origine muſculi abducentis.

Abducens in origine multo magis compoſitus eſt, & manifeſte duo habet capita, quae in vnum ventrem demum coniunguntur, alterum maius inferius & poſterius, alterum minus ſuperius & anterius. Caput maius (*t*) inferius oritur ex communi illo tendine, fibrasque colligit, tum ex tendinea propagine inter illum & muſculum deprimentem intermedia, cuius ope cum illo muſculo indiſſolubili nexu coniungitur; tum ex ipſo communi tendine; tum ex tendinea illa productione, quae omnium, quas communis ille tendo generat, extima eſt. Tota haec origo latet ſub faſciculo illo, quem ramus vterque nerui tertii paris, ſextus, ramus naſalis quinti & multa denique celluloſa conſtituunt, vti de origine deprimentis diximus, & a vagina nerui optici longius adeo diſtat, quam origo deprimentis. Ab ipſo autem ligamento communi tendinea propago extima extrorſum antrorſum & ſurſum deflectitur, circumductus faſciculo illo nerueo modo dicto, & coniungitur, vbi ſuper illum lunato ductu adſcendit, cum alia propagine tendinea capitis minoris; Caput enim illud minus (*u*) oritur ex perioſtio orbitae, conueſtiente illum marginem oſſis multiformis, qui inter

(*t*) Caput craſſius ALBINI *f.* XXVI. *explic.* a. quod partim ab inferiori parte foraminis optici, partim a ligamento ſibi dicto, partim a proxima parte marginis fiſſurae ſphenoideae oriri ſcribit.

(*u*) Caput gracilius ALBINI *fig. ead. lit.* b. quod ab initio connectitur cum attollente, vnaque cum eo a foramine optico oritur, & cum vagina nerui cohaeret.

inter foramen nerui optici & quod infra id ſequitur, medius eſt, ita vt fibrae ſupremae & intimae huius capitis, cum fibris exterioribus muſculi attollentis connexae & cohaerentes, ex ipſo quidem diuiſionis angulo proueniant, ſatis tamen exteriora verſus a neruo optico remotae, vt nulla capitis huius fibra vaginam illius nerui attingere poſſit, fibrae autem exteriores deſinant in lineam tendineam, quae orta ex dura matre, marginem ſuperiorem principii rotundi fiſſurae ſphenoideae conueſtiente, ſuper funiculum illum nerueum, extrorſum & antrorſum decurrit, vt capiti maiori iungatur. Dum ergo duae illae lineae tendineae capitis maioris & minoris in arcum coniunguntur, & lunato ductu coeunt, medium inter ſe relinquunt interuallum, per quod, faſciculus ille ex neruis tertii, & ſexti paris, & ramo naſali quinti compoſitus, in cauum conicum a muſculis oculi formatum ingreditur (x), cum quartus, reliqui rami quinti paris & vena opthalmica, cauo illo excluſi, inter duram matrem & muſculos iter ſuum proſequantur, ſub quibus in fundo orbitae origo huius muſculi ita latet, vt, niſi illis remotis, conſpici non poſſit. Arcus ille tendineus coniunctione vtriusque capitis formatus, vbique arctiſſime annectitur, firma & breui celluloſa, durae matri, reliquam fiſſurae ſphenoideae partem, in rimam anguſtiorem contractam, obturanti, ex cuius arcus conuexitate reliquae fibrae mediae carneae huius muſculi oriuntur, vt omnes illae fibrae ab ipſa ſtatim origine antrorſum decurrant. Eadem nempe fere hic fabrica obtinet, ac in origine muſculi adducentis. Cum enim vterque muſculus a natura deſtinatus videatur, vt bulbum oculi recta

(x) Conf. *Tab.* V. *f.* 2. ALBINVS iisdem inter vtrumque caput abducentis pingit interuallum, per quod ſextum & tertium neruum in cauum muſculoſum progredi ſcribit, naſalis nerui oblitus, cui certe nulla alia via relinquitur. *explic. fig.* 27. *lit.* k. Simile interuallum videtur vidiſſe VALSALVA, vbi in indignatorio annulum minorem pingit, & deſcribit. *Diſſ. anat.* II. *n.* 2. *T.* 3. *f.* 1. 2. 3.

ćta ad ſuum latus, alter ad exterius, alter ad interius ducat, in vtroque autem origo infra neruum opticum ſit; plurimae fibrae carneae non ad primam illam originem pertingunt, ſed in lineam tendineam ex ligamento communi adſcendentem deſinunt, quarum illa in muſculo adducente angulo diuiſionis durae matris ad latus internum nerui optici adfigitur, altera autem, quae arcum format in muſculo abducente, durae matri parietis externae orbitae annectitur, qua connexione directio ita mutatur, vt hi muſculi oculum non verſus primam originem, ſed verſus lineam tendineam, vnde fibrae eorum carneae veniunt, ducere poſſint. Similis ergo fere eſt hic mechaniſmus, ac in biuentre maxillae inferioris, tendine ſuo intermedio lata aponeuroſi oſſi hyoidi annexo, vt ſuperius licet ortus maxillam tamen deorſum trahere poſſit. Fibrae ergo carneae in vnum carnem collectae, ab origine paulum extrorſum flexae, muſculum conſtituunt, qui anteriora verſus progreſſus, ad latus exterius bulbi oculi accedit.

§. VII.

De origine muſculi attollentis.

Ex quatuor illis rectis ſupereſt adhuc attollens, qui vti iam ab ALBINO (y) fuit obſeruatum, oritur obliquo ortu partim a perioſtio orbitae, quod marginem oſſis multiformis, inter foramen opticum & fiſſuram ſphenoideam intermedium ſuccingit, quae fibrae cum capite minori muſculi abducentis ibi coniunctae, & loco magis poſteriori prouenientes, vix cum vagina nerui optici cohaerent. Inde autem ex ipſo ſitu orbitae principium huius muſculi oblique ſuper neruum opticum paulo antrorſum & introrſum vergit, & fibris demum interioribus cum parte ſuperiori muſculi

(y) *Hiſt. muſcul. L.* III. *cap.* 24. *Tab. muſc.* XI. *f.* 23.

muſculi adducentis confunditur. Fibrae illae ad ipſam ſupremam partem foraminis optici ex diuiſione durae matris prouenientes, ex parte in vaginam nerui optici ſe inſerunt (*z*), & impoſitum ſibi habent leuatorem palpebrae, quem nunquam inter attollentem & obliquum ſuperiorem intermedium vidi, vti plurimi libri Anatomici ſuadere videntur (*a*). Ex quatuor ergo muſculis rectis oculi attollens ſolus is eſt, qui ex angulo diuiſionis durae matris proprie ortus fibras inferiores in vaginam nerui immittat (*b*).

Ex data hac deſcriptione originis muſculorum oculi, iteratis experimentis nata apparet, quam parum dici poſſit, muſculos oculi oriri ex angulo diuiſionis durae matris, & ipſa vagina nerui optici, ex vno fere circulo, quum ſolus attollens & adducens ope lineae tendineae vaginae illius cohaereat, deprimens autem & abducens tota origine vltra lineae ſpatium ab illa diſtent. Sed aeque peccat LIEVTAVD (*c*), qui omnes muſculos ad dextrum latus nerui optici ex dura membrana oriri perhibet, vt apicem coni, quem formant, vltra tres lineas a foramine optico diſtare credat. Vidiſſe videtur originem trium muſculorum, ex ligamento communi, quam tamen fabricam non ea, qua par eſt, diligentia

(*z*) Ipſe ALBINVS cum vagina nerui illum cohaerere affirmat, *fig.* 21. *a. a. expl.*

(*a*) v. g. WINSLOW. §. 285. EVSTACH. *T.* XXXIX. *fig.* II.

(*b*) Originem huius muſculi vide in *Tab. V. f.* 2. 3. Omnes ergo quatuor illi muſculi in origine inter ſe cohaerent indiſſolubili nexu, attollens cum adductore, hic cum depreſſore, hic cum abductore, vt cauum conicum forment ſuperius aliqua ex parte clauſum, cuius baſis ipſe bulbus oculi eſt, eiusdem fere cum orbita figurae, latere interiori breuiori, exteriori longiſſimo, in quo arteriolae ciliares, neruuli ciliares cum ganglio, & reliqui nerui muſculos oculi adeuntes continentur, a reliqua parte caui orbitae fere ſecluſi.

(*c*) Opinionem illius de origine horum muſculorum amplectitur PETIT in *Palfyn Anat. Chirurg. Tom.* II. *p.* 417.

gentia indagauit; facile enim vidiſſet, neque ſuperiorem neque adducentem ad dextrum latus nerui optici oriri, neque ipſum illud ligamentum, ad trium linearum diſtantiam a foramine optico ſeiunctum eſſe, quum apex coni muſculoſi inter foramen opticum & ligamentum commune cadere videatur.

§. VIII.

Inſertio muſculorum oculi.

Quatuor illi muſculi ab initio tenues & tendinei in itinere carnei facti intumeſcunt, & in media parte latiores euadunt. Vbi ad bulbum oculi propius accedunt, obduci incipiunt vagina celluloſa, ſenſim auctiori, & arctiſſime carni annexa, vt difficulter omnis auferri queat, quae celluloſa demum in parte anteriori bulbi, cum vagina tendinis obliqui maioris confuſa in illam celluloſitatem, quae ſcleroticae & coniunctiuae interpoſita eſt, degenerat (*d*). In media autem bulbi parte iterum anguſtiores facti & extenuati ſenſim abire incipiunt in tendines tenues, & carnea parte multo latiores fere quadrangulos (*e*), qui, dum circa bulbum trochleae inſtar ſe inflectunt, ſcleroticam paulo excauant, ſinumque ſibi parant, quo excipiantur, vt ſi contra affixionem tendinum ſcleroticae partem diſſeces, illam ibi certe tenuiorem, ac in interſtitiis tendinum deprehendas (*f*). Tendines illi in taenias latiores ſenſim expanſi in parte anteriori bulbi longe vltra eius medietatem, in vno circulo, qui pro-

ximus

(*d*) Vaginam illam celluloſam iam attigit MORGAGNIVS *epiſt.* XVI. §. 37.

(*e*) Vide fig. EVSTACHII & ALBINI *loc. cit.*

(*f*) Idem velle videtur PETIT, vbi affirmat, rectos adcumbendo oculum planiorem reddere, & ſub illis ſcleroticam eſſe tenuiorem. *Mem. Acad.* 1726. *p.* 70. Cum quo conſentit Ill. de HALLER. *Comm. Boerh. T.* §. DXXX. *not.* f.

ximus corneae eſt, ſcleroticae inſeruntur (*g*) vt omnes illae quatuor inſertiones aequali ſpatio a cornea diſtent. Superius autem iam docuimus (*h*), nullibi tendines ſeſe contingere, & in vnam tunicam confluere, ſed, licet verſus finem ſemper lateſcant, vel proxime tamen circa corneam, ſatis magno a ſe inuicem ſeparari interuallo. In ipſa inſertione cum ſclerotica intimo nexu ita concreſcunt, vt ſine manifeſta laceratione vlterius diuidi, aut ad corneam vsque deduci non poſſint.

§. IX.

Diuerſa ſingulorum muſculorum directio, longitudo, craſſities.

Ex ipſa, quam ſuperiori capite dedimus, orbitae oſſeae deſcriptione ſatis iam apparet, muſculos rectos a latere interno orbitae ortos, diuerſa directione ad oculi bulbum incedere debere. Caua nempe illa conoidea, quorum apices foramina optica ponuntur, ita ſibi ſunt appoſita, vt latera interiora fere ſibi ſint parallela, axes autem illorum cauorum extrorſum diuergant. Foramen autem opticum, & principium rotundum fiſſurae ſphenoideae, & ille ſulcus in eius parte intima, qui ligamentum commune excipit, in ipſo illo latere interno exſculpta ſunt, vt centrum oculi ad diſtantiam ſemidiametri huius bulbi magis ſit exterius, longiusque diſtet a plano, quod corpus humanum in partem dextram & ſiniſtram diuidit, quam foramen opticum. Praeterea, ſi per centrum bulbi planum horizontale ducatur, quod orbitam in partem ſuperiorem & inferiorem ſecat, primo ſtatim

(*g*) Multi certe inſertiones rectorum nimis ad poſteriora retrahunt, quod tenendum eſt in figuris CASSERII, SPIGELII, COWPERI, VERHEYENII, COVRCELLES. EVSTACHIANAE, & ante omnes ALBINIANAE icones proxime ad naturae normam accedunt.

(*h*) *Cap.* I. *de ſclerotica.* §. VIII.

tim intuitu apparet, non ſolum foramen opticum, ſed ipſum ſulcum ligamenti communis in parte ſuperiori ſatis magno interuallo vltra id planum poſitum eſſe. Denique tenendum eſt, orbitae orificium anterius ita oblique reſectum in faciem foras patere, vt margo exterior multum retrorſum cedat, interior vero longius anteriora verſus progrediatur. Quae quum ita ſint, neruus opticus non ſolum oblique exteriora verſus flecti, ſed etiam non parum deſcendere debet (*i*), vt ad locum inſertionis veniat, qui demum in parte interiori intra planum perpendiculare, per centrum bulbi ductum, bulbum adit. Quum autem muſculorum origo ſub neruo optico vix aut valde parum certe vltra planum perpendiculare, quod per orificium internum huius foraminis tranſit, in exteriorem partem ſecedere videatur, fieri non poteſt, quin muſculi ab ipſa origine diuerſa inter ſe directione ad locum inſertionis pertingant; muſculus ergo adducens recto, & itinere fere parallelo cum ſocio alterius oculi ad bulbi partem anteriorem perueniet, vt illius inſertio a plano perpendiculari, per ligamentum commune ductum, vix in exteriora deflectere videatur. Abducens autem non poteſt non ſecundum directionem parietis externae orbitae extrorſum flecti, & propter obliquum & incuruum inceſſum nerui optici in arcum fere duci, cuius conuexitas parietem externam orbitae reſpicit. Attollens & deprimens in eodem fere plano perpendiculari incedentes ab origine paululum exteriora verſus ſecedunt, itinere fere cum axi orbitae parallelo (*k*). Omnes autem quatuor, & magis quidem deprimens & abducens deſcendunt, & deprimens per pla-

(*i*) Neruum opticum foramine ſuo egreſſum non parum deſcendere iam monuit CAMPERVS, in *diſſ. de quibusdam oculi partibus. Cap.* I. *§. 9. f.* 3.

(*k*) Diuerſam modo dictam directionem muſculorum ab EVSTACHIO *Tab.* XXXIX. iam optime expreſſam, omnibus fere reliquis neglectam reſtituit WINSLOWVS *Mem. Acad.* 1721. *p.* 314. *Tr. de la tete.* §. 242, 243.

planum horizontale, quod per centrum bulbi ducitur, tranſire debet, vt ad locum inſertionis multo inferiori loco poſitum peruenire queat. A diuerſa hac directione diuerſam eorum pendere longitudinem, facile patet. Quum locus inſertionis abducentis a ligamento communi longiſſime omnium ſit ſeiunctus, inſertio autem adducentis origini communi omnium proxima, ſponte ſequitur, abducentem eſſe debere longiſſimum, adducentem breuiſſimum; duo autem reliqui fere inter ſe ſunt aequales, breuiores abducente, longiores adducente; plerumque tamen deprimens attollente longior eſſe videtur. Sic iam olim EVSTACHIVS (*l*) abducentem omnium longiſſimum & exteriora verſus incuruum delineauit, & adducentem breuiſſimum eumque rectiorem, quod a MORGAGNIO (*m*), WINSLOWO (*n*), ALBINO (*o*), HALLERO (*p*) vnanimi conſenſu confirmatur; vti VALSALVA (*q*), COWPERVS (*r*), & ipſe ALBINVS (*s*), deprimentem attollente paulo longiorem figura & deſcriptione repraeſentant. Sed eodem modo multum diſcriminis inter muſculos illos in craſſitie animaduertitur, &, conſentiente MORGAGNO, WINSLOWO, & HALLERO (*t*) rectum adducentem omnium craſſiſſimum, & ſuperbum tenuiſſimum & anguſtiſſimum inueni, duos reliquos ſaepe inter ſe aequales, interdum abducentem deprimente craſſiorem me videre memini (*u*).

§. X.

(*l*) *Tab. cit. f.* 2. 3. 4. 5.

(*m*) *Epiſt. anat.* XVI. §. 24.

(*n*) *Mem.* 1721. & *Tr. de la tete. loc. cit.*

(*o*) *Hiſt. muſc.* L. II. *c.* XXIV. & *Tab. muſc.* XI. *f.* 17. 18. 19. 20.

(*p*) *Comm. Boerh. T.* II. §. DXXX. *n.* f. *Prim. lin. Phyſ.* §. DXII.

(*q*) Vide MORGAGNI *loc. cit.*

(*r*) *Myot. reform. T.* 25. *f.* 3. 4.

(*s*) *Tab. cit. f.* 2. 3. 24.

(*t*) Vide *loc. cit.*

(*u*) Diuerſam longitudinem *T.* V. *f.* 2. & craſſitiem *f.* 3. exprimere ſtudui.

§. X.

De origine, directione & inſertione muſculi obliqui ſuperioris.

Originem huius muſculi ex vagina nerui optici, quem GALENVS (*x*) a cantho interno ortum deſcripſerat, primum propoſuiſſe videtur VESALIVS (*y*), etſi reliquam directionem, & trochleam, per quam fertur, parum notam haberet, priusquam a FALLOPIO (*z*), cui inuentum trochleae huiusque muſculi per illam circumductionis debetur, admonitus & edoctus fuiſſet (*a*). COLVMBVS partem tantum poſteriorem ad trochleam vsque notam habuit, quam ſub nomine tertii muſculi palpebrarum deſcribit, trochleam autem, & huius muſculi per illam tranſitum plane ignorat (*b*). Eodem tamen tempore cum VESALIO & FALLOPIO EVSTACHIVS (*c*) optime originem, tranſitum per trochleam, huiusque fabricam delineauit, quin immo veram tendinis a trochlea inde verſus poſteriora directionem melius ipſo FALLOPIO propoſuit, & plurima certe occupaſſet, niſi tabulae eius ad noſtra vsque tempora latuiſſent. CASSERIVS (*d*) quidem non ſolum ex homine, ſed aliis quoque animalibus fabricam huius muſculi depinxit, cuius tamen icones neque diligentiam neque accurationem EVSTACHII aſſequuntur. Poſt illa tempora in omnibus libris Anatomicorum occurrit, quorum plurimi poſt EVSTACHIVM

(*x*) *De muſc. diſſect. cap.* V.

(*y*) *De corp. hum. fabr. L.* II. *c.* XII.

(*z*) *Obſeru. anat. p.* 712.

(*a*) *In examine obſeru. Fallop. p.* 781. trochleam, & huius muſculi per illam tranſitum bene deſcribit.

(*b*) *De re anat. L.* V. *c.* VIII.

(*c*) *T.* XXXIX. *f.* 2. 3. 4.

(*d*) *Pentaiſth. de organo viſus. T.* II. IV.

VM aliosque veteres cum WINSLOWO (*e*) ortum illum proponunt, ex diuiſionis durae matris angulo inter adductorem & leuatorem palpebrae, & attollentem. LIEVTAVD(*f*) illum ad parietem interna orbitae ſic oriri ſcribit, vt inter eius & reliquorum ortum neruus opticus medius intercedat. Ill. tamen ALBINVS proxime ad verum accedit, qui illius originem ad latus internum leuatoris palpebrae ſuperioris in ora ſuperiori foraminis optici ponit (*g*), etſi autem altera icone illum in origine attollenti aliqua ex parte incumbentem pingat (*h*), illum tamen ſubtus excurſu quodam tendineo cum nerui vagina cohaerere ſcribit, & altera figura omnino ex neruo ortum delineat (*i*). Obſeruationes meae circa originem huius muſculi factae ita certe ſe habent, vt neque cum ALBINIANA neque aliorum vlla deſcriptione ſatis conueniant, quae nempe omnes in eo conſentiunt, illum vnice ex dura matre parietis internae orbitae venire. Semper enim retro ſuturam, qua os ſphenoideum cum oſſis ethmoidei parte plana coniungitur, loco tamen a foramine optico ad duas fere lineas remoto, & magis anteriori obliquo initio fibris tendineis a dura matre ita oritur, vt fibrae illius, quo ſunt inferiores, eo magis anterius, eoque remotiores a foramine optico incipiant, quo autem ſuperiores, eo poſterius naſcantur, eoque propius ad foramen opticum accedant, & ſupremae tendineae fere ad diuiſionis durae matris angulum pertingant. Nunquam tamen vel vnicam fibram ex ipſo diuiſionis angulo accipit, nec vllo modo inuolucrum nerui vllibi attingit; cum vbique inter originem huius muſculi & neruum muſculus adductor ex neruo & perioſtio orae interioris foraminis optici annexus interponatur. Anguſtiſſimum triangulare illud ſpatium inter vtrumque muſculum

(*e*) Vid. *loc. cit.* §. 245.

(*f*) Vid. *loc.* & *fig. cit.*

(*g*) *Hiſt. muſc.* L. II. *c.* XXIII.

(*h*) *Tab.* XI. *f.* 17. 27.

(*i*) *f.* 22. & *expl. lit.* a.

ſculum intermedium repletur pinguedine fere fluida, quae indagationem verae originis huius nerui difficillimam reddit (*k*). Fibrae illae tendineae ex lato, ſed pertenui principio collectae, mox carneae factae muſculum conſtituunt teretem, gracilem, in medio intumeſcentem, parieti internae, qua os frontis cum plano coniungitur, incumbentem, qui ſenſim oblique adſcendens multa celluloſa involui incipit & abit in tendinem teretem, per trochleam traiectum. Is vero circa hanc cartilaginem ſe deorſum curuans, cum elapſus ex eo eſt, retrorſum ſimul & in latus externum deſcendit ad ſuperiorem & poſteriorem partem globi oculi (*l*), ad quem appropinquans planior euadit, lateſcit, & extenuatur; & paulo poſt mediam ſummam partem bulbi oculi, tectus attollente, verſus muſculum exteriorem triangulari fere fine, fibris radiatim diſpoſitis, in ſcleroticam inſeritur (*m*), loco paulo anteriori & ab inſertione nerui optici remotiori, quam tendo dilatatus obliqui minoris, qui poſteriori magis loco ſcleroticae ſe immittit, ita quidem vt pars tendinis obliqui minoris anterior respondeat parti mediae tendinis obliqui maioris (*n*). Trochlea dicta primum & optime deſcripta a FALLOPIO, & poſt illum a VESALIO delineata, ſed extra ſitum mota in libro edito

(*k*) Eandem fere iam dedimus deſcriptionem in *Comm. Soc. Sc. Gott. T.* III. *Obſeru. de tunicis & muſculis oculorum.* §. XIII. *fig.* III.

(*l*) Veram inſertionem obliqui maioris in poſteriori oculi parte, ab EVSTACHIO & CASSERIO *loc. cit.* bene delineatam, reſtituit COWPERVS in *Myot. reform. T.* XXV. *f.* III. cum plurimi alii ante illum & ipſe FALLOPIVS illam inſertionem nimis ad anteriora traherent, vti iam monuit MORGAGNIVS *epiſt.* XVI. §. 36.

(*m*) Vid. EVSTACH. *T.* XXXIX. *f.* 4. *Comm. Boerh. T.* IV. §. DXXX. *n.* 1. ALBINI *hiſt. muſc. L.* II. *c.* XXIII. *Tab. muſc.* XI. *f.* 22.

(*n*) Vid. iconem huius muſculi, *T.* V. *f.* 4.

edito a VIDO VIDIO, cum figura EVSTACHII, quae prius tamen facta videtur, adhuc lateret, a CASSERIO primum in ſitu naturali oſſi affixa expreſſa (o), orbiculus eſt, qui conſtat ex tenui cartilagine, fere quadrangulari, per transverſum excauata, & ſimicanalis aſſimili, quem vtrinque ſuſtinent & in orbiculum integrum perficiunt ligamenta, oſſi frontis adfixa ad ſulcum prope ſemicanalem, per quem nervus frontalis exit (*p*). Tendinem, quem in ipſo tranſitu multa celluloſa laxiori huic orbiculo annectit, trochlea egreſſum vndique comitatur vagina celluloſa, laxa, obſequioſa, lubrica (*q*), quae orta ab orbiculo & vicino oſſe frontis cum illo ad globum oculi deſcendit, vbi cum celluloſa bulbo circumpoſita & cum rectis allata confunditur, & in omni hoc itinere tendini plano vndique, laxius licet, adhaeret, vt tam orbiculus mobilis, quam vagina illa celluloſa tendinem motum omnino ſequi debere videatur. Praeterea MOLINETTVS (*r*), KVLMVS (*s*) & ALBINVS (*t*) alium memorant muſculum gracillimum, comitem maioris, qui in eius vaginam celluloſam euaneſcere videatur, quem nunquam equidem vidi.

§. XI.

De muſculo obliquo inferiori.

Muſculus obliquus inferior communi fere cum ſuperiori fato ab iisdem Auctoribus inuentus, & primum delineatus

(*o*) De his omnibus vide loca citata.

(*p*) Vid. praeter figuram Euſtachii MORGAGNIVM *Adu.* VI. *Animadu.* 77. WINSLOW. §. 246. HALLERVM & ALBINVM *loc. cit.*

(*q*) Vaginam illam dictam iam olim FABRICIO & RIOLANO reſtituit MORGAGN. *Adu.* VI. *Animad.* 77. *Epiſt. anat.* XVI. §. 37. confirmatam ab ALBINO *Hiſt. muſc. L.* II. *c.* 23. WINSLOWO. §. 245. III. HALLERO. *Comment. Boerh. loc. cit.*

(*r*) *Diſſ. anat. cap.* 4.

(*s*) *Annot. ad Tab. anat.* IX. *n.* 1.

(*t*) *Hiſt. muſc. loc. cit.*

neatus fuit. Oritur loco a reliquis remoto ſtatim pone marginem inferiorem leuiter eminentem orbitae, qua in faciem foras patet, ab iſthmo oſſis maxillaris, inter foramen ductus lacrymalis & laminam oſſeam in plurimis ſubiectis fiſſura diuiſam, quae ductum infraorbitalem tegit, interpoſito, depreſſione leui & interdum aſperiuſcula. Principium huius muſculi tendineum & anguſtum breui abit in muſculum latiorem, qui oblique extrorſum & retrorſum progrediendo inter tendinem depreſſoris & orbitam decurrit, inde magis ad poſteriora vergens ad externum oculi latus, inter ipſum bulbum & ventrem abductoris adſcendit, & inter hunc muſculum & attollentem (*u*), fine tenui, tendineo, & latiuſculo, fibris poſterioribus longius adſcendentibus, ſe immittit in oculi partem poſticam, e regione fere obliqui maioris, vt plurimis tamen fibris propius, quam ille, ad neruum opticum accedere videatur (*x*). Decurſum huius muſculi verum, nempe primum inter orbitam & deprimentem, & demum inter globum oculi & abductorem, ſolus inter veteres EVSTACHIVS bene propoſuit, cum VESALIVS (*y*) illum vndique oſſi attenſum illos muſculos non ſubire, FALLOPIVS (*z*) autem inter oculum & chordas vtriusque muſculi latitare doceret. Neque vllum inuenio, qui errores illos aut deſcriptione aut figura correxerit, aut vera docuerit, niſi figuram VERHEYENII (*a*) huc referre velis, vbi in oculo ex orbita cum muſculis euulſo, obliqui inferioris verum decurſum delineare videtur. Nec COWPERVS (*b*) iconiſmo veram fabricam expreſſit, nec BOERHAAVI-

(*u*) Vid. ALB. *T.* XI. 19. 20.

(*x*) Hanc inſertionem magis poſteriorem, quam obliqui maioris iam expreſſit EVSTACHIVS, *Tab.* 39. *f.* 5.

(*y*) *Exam. obſeru. Fallop. p.* 781.

(*z*) *Obſeru. anat. p.* 711.

(*a*) *Anat.* C. H. *T.* XXVII. *f.* 4.

(*b*) *Myot. reform. T.* 25.

HAAVIVS (*c*), nec ipſe WINSLOWVS (*d*) ſatis luculenter verum huius muſculi iter deſcribunt, quorum ille in abductore, hic in depreſſore verum tradidit, neuter tamen de vtroque monuit, etſi vtrumque illud non ignoraſſe facile pateat. MORGAGNIVS (*e*) ergo eſſe videtur, qui inprimis iterum diſerte monuerit, muſculum illum primum inter depreſſoris tendinem & orbitam, & progrediendo eundem inter oculum & ventrem abductoris duci; quod demum ab Ill. HALLERO (*f*) ALBINO (*g*), COVRCELLES (*h*), aliisque recentiſſimis, tam deſcriptione, quam iconibus egregie confirmatur. Ceterum monendum adhuc eſſe duxi, muſculum hunc multa celluloſitate cum vtroque muſculo inprimis depreſſore cohaerere.

(*c*) *Inſtit. med.* §. 530.

(*d*) *Tr. de la tete.* §. 247. 248.

(*e*) *Epiſt. anat.* XVI. §. 34.

(*f*) *Comm. Boerh. T.* IV. §. DXXX. *not.* l.

(*g*) *Tab. muſc.* XI. *fig.* 19. 20. *explic.*

(*h*) Vide *icones muſculorum capitis. Tab.* III.

CA-

CAPVT. IX.

DE NERVIS OCVLI.

§. I.

Hiſtoria neruorum oculi.

GALENVS neruos opticos ad originem perſecutus, illos exoriri docet (*a*), vbi vterque ventriculus anterior ad latera deſinit, ipſumque ventriculorum velut thalamum propter illos neruos extitiſſe, quam appellationem thalami neruorum opticorum ab illo inuectam Anatomici ad noſtra vsque tempora ſeruarunt. Neruos opticos ſecundum HEROPHILVM meatu, per quod ſpiritus ex cerebro ad oculum veniant, pertundi ſcribit (*b*). Praeter par oculorum motorium, quod ſecundam coniugationem vocat, cuius partem quandam ſingulis oculorum muſculis transmitti ſcribit (*c*), neruos reliquos oculi ignorauit. VESALIVS etſi vbique GALENVM redarguere velit, in hiſtoria tamen nervorum oculi parum profecit. Neruos opticos ad eiusdem lateris oculos pertingere, nec inter ſe decuſſari, nonnullis obſeruationibus demonſtrauit (*d*), male autem eos in exterius oculi latus inſeri ſcribit (*e*). Communi cum GALENO errore tertium noſtrum par ſeptem ſuis oculi muſculis inſeruire credit (*f*). Par quartum, cuius nec veram originem nec finem vidit, proponit nomine radicis gracilioris paris

(*a*) *De vſu part.* L. X. c. III.
(*b*) *De Hipp. & Plat. decret.* L. VII. c. 4. *de vſu part.* L. X. c. XII.
(*c*) *De loc. aff.* L. IV. c. II.
(*d*) *De corp. hum. fabr.* L. IV. c. 4.
(*e*) *Ibid.* & L. VII. c. 14.
(*f*) *Loc. cit.* L. IV. c. 5.

paris tertii; oriri autem credit a latere baſeos cerebri, & in progreſſu peſſime in quatuor diuidit ramos, frontalem, infraorbitalem & naſalem quinti, & alium, qui ad muſculum temporalem abeat, inſertionis in trochleatorem plane ignarus (*g*). Sextum par nomine radicis gracilioris quinti ſui paris recenſet, cuius quidem & diſtinctam originem & foramen proprium bene obſeruauit, craſſo autem errore ramum quinti maſſetericum & temporalem quendam ramum propaginis illius eſſe credit (*h*). COLVMBVS (*i*) GALENVM ſecutus tertium par ad omnes oculi muſculos ducit. FALLOPIVS primum, cum EVSTACHII opus lateret neruos oculi in verum ordinem redegit, & illorum origines & fines bene definiuit (*k*). Optime enim monuit, neruum ſecundum, quod nobis tertium par, in cauitatem oculi delapſum, ramum emittere, qui neruum opticum adſendens ad leuatorem palpebrae & attollentem abit. Reliquam autem eius partem ad obliquum inferiorem & deprimentem ducit. Quartum & ſextum par primum in parium dignitatem conſtituit, vtriusque originem bene vidit, & illud octauum ſibi dictum in ſolum trochleatorem, hoc nomine quarti in indignatorium, totum ferme inſeri, cum aliqua dubitatione docuit. Nec ciliares illius induſtriam effugerunt. EVSTACHIVS adhuc vlterius eſt progreſſus. Non ſolum originem decurſum & finem neruorum oculi, aeque ac FALLOPIVS, optime tenuit, ſed multa quoque addidit, FALLOPIO praeteruiſa. Originem optici ex thalamis (*l*), eius decurſum, & inſertionem non in medium, ſed interius latus oculi optime propoſuit (*m*), foramen in hoc neruo reſtituit (*n*). A ſexto radicem ad intercoſtalem deſcendere primus inuenit (*o*), nec ciliares a naſali quinti ortos ſe latere oſtendit

(*g*) *Loc. cit. c. 6. f.* 1.
(*h*) *loc. cit. c.* 8. *f.* 1.
(*i*) *De re anat. L.* 8. *c.* 3.
(*k*) *Obſeru. anat. p.* 733. 735. 737. & *Albin.*
(*l*) *T.* XVII *f.* 5. 6.
(*m*) *T.* XXXIX. *f.* II. IV.
(*n*) *T.* XXXX. *f.* 1. 2. 3. 11. 12. *Oſſium exam. p.* 227.
(*o*) *T.* XVIII. *f.* 2.

dit (*p*). CASSERIVS cum GALENO quidem ſolum tertium noſtrum par ad muſculos oculi pertinere credit, ciliares tamen, quos tactorios appellat, a reliquis diſtinctos, noviſſe videtur (*q*). Etſi autem FALLOPII animaduerſionem CARCANVS (*r*) & VIDIVS (*s*) obſeruationibus ſuis confirmauerint, multi tamen, FALLOPIO meliora docente neglecto, veterem doctrinam GALENI & VESALII in pleriſque iterarunt. Sic FABRICIVS ab AQVAPENDENTE (*t*), PLATERVS (*u*), VESLINGIVS (*x*), CASPAR BARTHOLINVS (*y*), & alii ſolum tertium par ad omnes oculi muſculos deducunt, cui RIOLANVS (*z*) & MARCHETTI (*a*) ſextum par ad abductorem miſſum addunt. BAVHINVS (*b*) & SPIGELIVS (*c*) in tertio pari Fallopio bene adſtipulati, in quarto illum deſerentes peccant, quem nomine tertii paris ex frontali, naſali, infraorbitali & vero pathetico componunt, ramumque ad trochleatorem propaginem tantum huius nerui, quem ſibi finxerunt, eſſe docent; ſextum par, FALLOPII quartum, eiusque veram in indignatorium inſertionem, BAVHINVS a FALLOPIO quidem fauſto omine recepit, alio autem ordine pro octavo pari recenſet. Primus ergo eſt WILLISIVS (*d*), qui poſt FALLOPIVM in enumerandis & deſcribendis neruis oculi veritatem iterum reſtituit. Sic tertii ramos quatuor ad muſculos, quos iam dixit FALLOPIVS, deducit, ramo tamen ad

(*p*) *T.* XVIII. *f.* 1. 3. 5. *lit.* t. *expl. Albin.*

(*q*) *Pentaiſth. L.* V. *c.* XVI.

(*r*) *Anatom. L.* II.

(*s*) *De Anat. corp. hum. L.* 2. *c.* 3.

(*t*) *De oculo P.* I. *c.* XI.

(*u*) *De corp. hum. ſtruct. T.* 48.

(*x*) *Syntagm. anat. C.* XV.

(*y*) *Inſtit. anat. L.* III. *c.* VIII.

(*z*) *Anthropol. L.* IV. *C.* II.

(*a*) *Anat. p.* 313.

(*b*) *Theat. anat. L.* 3. *c.* 20. 21. 23.

(*c*) *De hum. corp. fabr. L.* VII. *c.* 2.

(*d*) *Cerebri Anat. C.* XXI. & XXII.

ad leuatorem palpebrae praeteruiſo, & in quarto pari cum eodem Fallopio conſentit. Sextum totum in indignatorium deſinere docet. Cum EVSTACHII opus nondum in lucem protractum fuiſſet, gloria illi quoque debetur, quod a nullo monitus primus radicem a ſexto ad intercoſtalem inuenerit. Ordinem, quo neruos recenſet, omnes hoc tempore Anatomici adhuc ſeruant. Neruuli a tertio pari emiſſi plexum rotundum efficere credit, vnde ſurculi ad oculum abeant, ſed etiam ſurculos a ramo opthalmico quinti paris ad vueam venientes vidit. Icone origines neruorum optime exhibuit. Mirum ergo fere videri poteſt, quomodo alii poſt illum iterum in priores errores incidere potuerint. Sic THOMAS BARTHOLINVS (*e*), DIEMERBROECK (*f*), DIONIS (*g*), obſeruationes WILLISII negligentes, quartum par cum infraorbitali & opthalmico ramo quinti confundere, & fabricam illam ex BAVHINI opinione proponere, tertium autem par ſolum omnibus oculi muſculis praeter indignatorium ramos diſtribuere maluerunt. BARTHOLINVS tamen & DIONIS ſextum par ad abducentem conſeruarunt. TAVVRY (*h*) breuiter quidem, ſed ſine errore, neruos oculi recenſet; vti BRIGGSIVS (*i*), BLANCARDVS (*k*) WILLISIVM omnino ſequuntur. VERHEYENIVS (*l*), qui ſecundum & quartum par nouit, parum accurate loquitur, dum praeter propagines quinti nonnullos tantum ſurculos a ſexto accedere docet. VIEVSSENIVS (*m*) non ſolum Williſianam animaduerſionem confirmauit, ſed etiam aliqua ex parte correxit. Tertii paris diſtributionem melius WILLISIO deſcribit, quem orbitam ingreſſum, & ramo

(*e*) *Anat. reform. de neruis. cap.* II.

(*f*) *Anat. corp. hum. L.* III. *c.* VIII.

(*g*) *Demonſtr. Anat.* C. H. VII. *p.* 350.

(*h*) *Anat. raiſonn. p.* 320.

(*i*) *Opthalmogr.* C. V.

(*k*) *Anat. ref. p.* 176.

(*l*) *Anat. C. H. Tr.* IV. *c.* XIV.

(*m*) *Neurogr. vniu. L.* III. *C.* III.

ramo ad vtrumque leuatorem emiſſo, in duos diuidi ramos dicit, quorum interior minor ad adducentem, exterior craſſior ad deprimentem & obliquum minorem abeat. Duplicem originem neruulorum ciliarium a ſecundo & quinto pari & plexulum inde formatum dixit. VIEVSSENII fere verba SIMON PAVLLI (*n*) & de la CHARRIERE (*o*) retinent. RVYSCHIVS neruulos ciliares, quibus primum nomen illud impoſuit, abſciſſos, per choroidem decurrentes deſcripſit & primus in ſitu delineauit (*p*), & nonnullas ad reliquorum hiſtoriam obſeruationes addidit (*q*). Poſt optimam deſcriptionem WILLISII VALSALVA (*r*) non ſine inſigni errore neruos oculi propoſuit. Tertium nempe par in quatuor diuiſum ramulos, qui ad quatuor muſculos rectos abeant, & neruulos ciliares ex eodem ortos, & cum neruo optico ad bulbum progreſſos delineat. In ſchedis in dubitatione ſe eſſe ſignificat, num obliquus maior neruum habeat a motorio pari an a Pathetico (*s*)? MORGAGNIVS (*t*) in aduerſariis in origines neruorum & decurſum in cranii adhuc cauitate inquiſiuit, quas origines accuratiori examini denuo SANTORINI (*u*) ſubiecit. PETITVS (*x*) ſolum par ſextum & neruulos ciliares eſt perſecutus, vt tamen in hac deſcriptione eam accurationem, qua in reliquis experimentis partium oculi ſe commendat, vix inueniamus. Sextum nempe in itinere per duplicaturam durae matris ramulos ab intercoſtali accipere & ab illo in orbitam ingreſſos ſurculos emitti ſcribit, qui ſe adiungant fibrillis ex ganglio ortis

(*n*) *Annot. ad Hornii Microcoſm.* p. 176. 177.

(*o*) *Anat. nouu. de la tete. p.* 212.

(*p*) *Epiſt.* XIII. *T.* XVI. *f.* 11. 12.

(*q*) *Theſ.* VII. *n.* 10.

(*r*) *Diſſ. anat.* I. *T.* 3. *f.* 2.

(*s*) MORGAGN. *epiſt.* XVI. §. 42.

(*t*) *Adu. Anat.* VI. *Animad.* 20. 27.

(*u*) *Obſeru. anat. C.* III. §. 15. 17.

(*x*) *Mem. Acad. Sc.* 1727. *p.* 19.

ortis, & cum illis nomine neruorum ciliarium oculum adeant. Fuſius & diligentius WINSLOWVS (*y*) neruos oculi deſcribit, vt inprimis in tertio parum, quod addi poſſit, relinquere videatur. A BOERHAAVIO (*z*) monitus inſertionem nervi optici verſus naſum confirmauit. Fibrae a pathetico in itinere emiſſae, atque ſurculi a naſali ad attollentem & leuatorem palpebrae omnium, qui ſecuti ſunt, Anatomicorum induſtriam omnino effugerunt. WINSLOWI deſcriptionem ST. YVES (*a*), TAYLOR (*b*), CASSEBOHM (*c*), PLATNERVS (*d*), & PETIT (*e*) omnino ſequuntur, vt verba fere retineant. Surculos tamen ſuſpectos a Pathetico & naſali modo dictos PETITVS omittit; PLATNERVS autem & TAYLOR fibras ſexti ciliaribus immiſtas a PETITO ſeniori receperunt. BONHOMME (*f*) iconem quidem dedit neruorum oculi, quae tamen potius ad deſcriptionem, quam ad naturam facta fuiſſe videtur, cum & originem neruorum ex baſi cerebri & illorum in muſculos inſertionem repraeſentet. Ipſa figura neruorum parum certe vtilis eſſe poteſt, quos extra ſitum naturalem poſitos, a partibus vicinis diuulſos, delineat, nec ſine adiectis erroribus. Ganglion opthalmicum male tanquam corpuſculum ouale, nec melius ramum ad adductorem ſuper attollentem, & neruulos ciliares nimis craſſos omnes ſuper opticum incedentes exhibet. Ante illum eosdem neruos oculi icone propoſuit LE CAT (*g*), quae figuram BONHOMMII parum cedit. Omnia certe nimis ruditer expreſſa, minusque accurate definita, & nonnulli rami tertii paris, vt ad leuatorem palpebrae, &

(*y*) *Expoſ. anat. T.* III. *Tr. des nerfs.*

(z) Vid. *inſtitut. med.* §. DXXV. & *Prael. acad. T.* IV. *p.* 120.

(*a*) *Tr. des malad. des yeux. P.* I. *C.* IV.

(*b*) *Nouv. Anat. de l'oeil. C.* XIV. *p.* 49.

(*c*) *Meth. ſec. p.* 646.

(*d*) *Progr. de vulneribus ſuperciliorum. p.* 170. *ſqq.*

(*e*) *Edit. Palſyn. Anat. Chir. T.* I. *P.* IV. *C.* II.

(*f*) *Cephalotom. Tab.* 10.

(*g*) *Tr. des ſens. Tab.* III.

& obliquum minorem omnino ſunt omiſſi. LIEVTAVD (*h*) in tertio pari Winslowum ſecutus in pathetico & ſexto pari non parum certe peccat. Quinti enim ramum naſalem foramen ſuum ingreſſum pro ramo pathetici, muſculum ſuperiorem obliquum perforante, habet, & reliquos ramos naſalis, quos in orbita emittit, a ſexto deducit. Ganglii opthalmici nullam mentionem facit. Orbiculus ciliaris ex ſola celluloſa conflatus ſibi videtur plexus nerueus ex neruulis ciliaribus compoſitus, vnde ramuli ad iridem, proceſſus ciliares, aliasque partes vicinas abeant. Recentiori libro MORGAGNIVS (*i*) ad illa, quae olim tradiderat, multum adiecit. Nerui optici vnionem & inſertionem in latus interius oculi, illius & reliquorum inprimis ſexti & quarti origines accuratius examinauit, fines illorum nouis obſeruationibus conſtituit, & neruulos ciliares optime eſt proſecutus, quos ex ſolo fere tertio pari deducit. Optime autem, vti de reliquis Anatomiae partibus meritus eſt Ill. HALLERVS (*k*), qui iam ante CATIVM & BONHOMMIVM neruos oculi in ſitu & ganglion opthalmicum omnium primus delineauit, accuratiſſima eorum deſcriptione adiuncta, veras eorum origines & diuiſionem obſeruationibus confirmauit, & ganglii duplicem a tertio & naſali quinti, radicem neruulosque ciliares ad finem in iridem vsque egregie in lucem conſtituit. Cel. denique MECKELIVS (*l*) in ramos quinti paris ad orbitam venientes diligentiſſime inquirens, hiſtoriam inprimis ganglii opthalmici & neruorum ciliarum plurimum obſeruationibus ſuis auxit, neruulosque inprimis ciliares in meliorem ordinem redegit.

§. II.

(*h*) *Eſſ. anat. p.* 431. 435.

(*i*) *Epiſt. anat.* XVI.

(*k*) *Comment. Boerh. T.* IV. §. DXVI. *Prim. lin. Phyſ.* §. DXIV. DXV. *Faſc. anat.* I. *T.* VI.

(*l*) *Diſſ. de neruo quinti paris.*

§. II.

Neruorum opticorum iter & inſertio.

Oriuntur hi nerui ex illis colliculis, in interiori & poſteriori parte ventriculi anterioris ſiue tricornis ſitis, quos ab ipſo iam GALENO thalamos horum neruorum vocare ſolent, accedentibus nonnullis fibris ab ipſis natibus venientibus. Ab hoc ortu per cornu inferius ventriculi tricornis flectuntur extrorſum, & in ipſa baſi cerebri introrſum ad ſe mutuo accedentes vergunt, vbi plurimas accipiunt fibras ex cruribus maioribus medullae oblongatae (*m*). Ex ipſa demum ſubſtantia medullari emergentes, planiuſculi, antrorſum introrſum pergentes, dum vterque ad comparem alterius lateris accedit, multa ſubſtantia medullari inter ſe cohaerent, vt tamen non miſceantur, ſed dexter dextrum, ſiniſter ſiniſtrum oculum adeat. GALENVS (*n*) olim iam perſpexit, neruos illos ibi tantum cohaerere, non decuſſari, qua in re plurimos tum ex veteribus tum ex recentioribus ſibi habet conſentientes; & certe rem illam ſatis confirmare videntur obſeruationes, quibus conſtitit, eiusdem lateris oculum laboraſſe, cuius lateris neruus tenuior aut vitiatus & retro & ante coniunctionem inuentus fuerit; neque viſum ſimplicem turbatum fuiſſe, cum nerui non iuncti animaduerterentur (*o*). Coniunctio illa neruorum, quae multam arachnoideam tanquam pontem inſtratam ſibi habet, formam fere litterae X mihi ſemper repraeſentare viſa fuit, eadem figura, qualem EVSTACHIVS (*p*), WILLISIVS (*q*) & RVYSCHIVS (*r*) icone propoſuerunt, vt corpus illud ex vtroque neruo

(*m*) Conſentit Ill. HALLERVS *Prim. lin. Phyſ.* §. CCCLXXI.

(*n*) *De vſu part. L.* X. *c.* 12.

(*o*) Obſeruationes, quae huc pertinent, collegerunt MORGAGNI *Epiſt.* XVI. §. 14. & HALLERVS. *Comm. Boerh. loc. cit. not.* d.

(*p*) *Tab.* XXXIX. *f.* 2.

(*q*) *Anat. cerebr. T.* I.

(*r*) *Epiſt. T.* XIII.

neruo ſibi iuncto conflatum alterutro neruo ſemper latius, & interdum aeque fere latum, quin latius ac duo nerui ſimul ſumti, eſſe, & prope ad figuram quadratam accedere videretur. Nunquam autem videre me memini figuram, qualis a VIEVSSENIO exprimitur (*s*), qua vterque neruus ad alterutrum non accedens, ſed per ſubſtantiam mediam tanquam per vinculum quoddam alterutri iunctus pingitur (*t*). Intimam tamen ſubſtantiae medullaris mixtionem hic fieri fere ſuadent obſeruationes, quae docent, alterutrius lateris neruo laeſo, aut eiusdem thalamo vlcere eroſo, oculum non eiusdem, ſed alterius oppoſiti lateris laboraſſe & doluiſſe, viſumque ibi turbatum fuiſſe (*u*). Neruus opticus complanatus ab illa coniunctione ſub inſtrata ſibi arachnoidea antrorſum & extrorſum oblique tendens ſic ad foramen ſuum properat, vt illi in itinere occurrat plica durae matris, in aciem procurrentis, quae oſſi arcte annexa foramen illud ſubit, & vndique conueſtit. In ipſo autem per illud foramen itinere directionem aliquantum mutat, & antrorſum quidem & paululum deorſum, ſed vna magis extrorſum progreditur, quod parte ſuperiori foraminis optici effracta facile apparet, ita vt cum parte nerui in cranio contenti angulum conſtituat. In illo tranſitu per craſſitiem oſſis neruus paulo contractior, durae matri foramen opticum inueſtienti multa celluloſa adnectitur, qua obnupta arteria opthalmica ad latus inferius nerui optici in orbitam prorepit. Ad oram autem internam foraminis optici dura mater in duas diuiditur laminas, quarum altera oſſibus annexa in perioſtium orbitae degenerat, altera vaginae in modum neruum arcte complectitur, qua inuolutus neruus ille multo magis extenuatus (*x*) iterum a priori

(*s*) *Tab.* V.

(*t*) Conf. MORGAGN. *epiſt.* XVI. §. 13.

(*u*) Eiusmodi obſeruationes in Morgagn. *Epiſt.* XIII. §. 19. & *Comm. Boerhaav.* T. IV. §. DXVI. *not.* e.

(*x*) Conf. le CAT *Traité des Sens.* T. VII. *f.* 1. *p.* 151.

priori via deflectitur, vt antrorſum & extrorſum quidem progrediendo, leuiori tamen verſus exteriora, quam in foramine ſuo declinatione, in orbita iter ſuum proſequatur; qui praeterea, vti in foramine optico, verſus inferiora paulum deſcendere pergit, vt locus inſertionis in bulbum oculi ſemper multo ſit inferior, ac primus illius in orbitam ingreſſus (*y*). Sic neruus opticus deorſum, antrorſum & extrorſum progreditur, latens primum ſub muſculo attollente, ſub quo ſenſim prorepit, vt illo tandem euadat exterior, ad trium fere linearum a bulbo diſtantiam, arcu facto, verſus tempora conuexo, introrſum flexus ſenſim ſub muſculo attollente iterum ſe abſcondit, illoque tectus ſemper deſcendendo ad bulbum properat, cuius parti interiori, & inter inferiorem & ſuperiorem mediae inſeritur. Inſertionem hanc ad internum latus pertinere, contra VESALIVM, qui in exteriori latere poſuerat (*z*), iam olim icone monuit EVSTACHIVS (*a*); cuius libro nondum viſo PLEMPIVS (*b*) diſerte eandem defendit, quam, a WILLISIO (*c*) impugnatam, & reliquis omnino fere neglectam, reſtituit BOERHAAVIVS (*d*), a quo WINSLOWVS monitus eandem accepit (*e*), quam etiam omnes noſtro tempore Anatomici retinuerunt. VERHEYENIVS (*f*) & poſt illum CASSEBOHMIVS (*g*) inſertionem hanc praeterea ad inferiorem oculi plagam accedere ſcripſerunt, quod ita ſeſe ſemper habere nondum ſatis certe animaduertere licuit. Nulla mihi nota eſt icon, quae flexionem & viam hanc nerui optici iuſte repraeſentet. Etſi enim figurae EVSTACHII, VALSALVAE, ALBI-

(*y*) Idem iam monuit CAMPERVS *diſſ. cit. Cap.* I. §. 9. *f.* 3.

(*z*) *Libr.* IV. *cap. libr.* VII. *c.* 14.

(*a*) *Tab.* XXXIX. *f.* 2-5. & *Tab.* XL. *f.* 1. 2. 3.

(*b*) *Libr. cit. c.* 19.

(*c*) *De anima brut. C.* XV. *p.* 122.

(*d*) *Inſt. med.* §. DXXV.

(*e*) *Mem. Acad.* 1721.

(*f*) *Anat. Tr.* IV. *c.* 14.

(*g*) *Meth. ſec. p.* 316.

ALBINI & WINSLOWI (*h*) viam in orbita & inprimis Winslowiana flexionem illam exteriora verſus optime exhibeant, nemo tamen ad diuerſam directionem in craſſitie oſſis ſatis attendiſſe videtur.

§. III.

Fabrica nerui optici.

Superius iam monui, duram matrem ad oram externam foraminis in duas ſe geminare laminas, quarum altera in perioſtium orbitae abit, altera autem vaginae in modum neruum complexa, cum illo ad bulbum oculi progreditur, quae iterum in duas facile diuidi poteſt laminas, & ſcleroticae demum annectitur (*i*). Interiori huic laminae arcte annectitur ope multae celluloſae ſubtilioris ipſa ſubſtantia nerui optici, qui in eo ab omnibus reliquis aliis neruis corporis humani differt, quod a pia matre inuolucrum nactum ſit, quod omnes eius funiculos medullares obuoluat, & in vnum teretem neruum coniungat. In reliquis autem neruis, qui in itinere in plures ramos diuiduntur, pia mater ſingulos funiculos inuoluit, quibus iunctis dura aliqua celluloſa inuolucrum generale praeſtat. Sed etiam in neruo optico pia mater, quae externam nerui ſuperficiem aequabilem & teretem reddit, vndique intra ſubſtantiam nerui demittit propagines celluloſas, quae ſingulos funiculos medullares vagina peculiari obuoluunt, & inter ſe connectunt. Funiculi enim illi in toto itinere nulla diuiſione finduntur, aut ſecedunt, ſed eodem numero, quo ex cerebro proueniunt, ad retinam pertingunt, in toto itinere parallelo ductu inter ſe incedentes. Quae quum ita ſint, non adeo mirum videbitur, neruum ex ſtriis parallelis compoſitum apparere, ſi medulla ſtrin-

(*h*) De illis vide §. *ſuper.* & *Mem. Ac.* 1721.

(*i*) Vid. *cap.* I. *de ſclerot.* §. V.

ſtringendo omnis expreſſa fuerit; quum celluloſa ſtructura, quam pro membraneis canaliculis alii viderunt (*k*), vnice praeparationi debeatur. Dum enim ſubſtantiam medullarem exprimunt, & aerem in vacuas vaginulas immittunt, fieri non poteſt, quin tenuiſſima illa ſtructura multum patiatur, & vaginulae, flatu reſolutae, disiectae, in celluloſum habitum fingantur (*l*). Vti autem externam nerui ſuperficiem plurima vndique vaſcula pingunt, quae intra cranii cauitatem ab ipſis ſurculis carotidis (*m*), intra orbitam autem ab arteriae opthalmicae ramulis accedunt, ita in neruo prope oculum per transuerſum diſciſſo, apparet foraminulum, vacuus nempe porus arteriae centralis, praeter poros illos minimos, a diſſectis vaſis infinitis ſecundum vaginulas celluloſas repentibus (*n*). Pori autem vacui in medio neruo nullum reperitur veſtigium ſupra inſertionem ipſius arteriae centralis, vbi neruus ſolidus plane apparet, vt inde facile diuerſae opiniones GALENI, qui neruum foramine pertundi aſſerit, & VESALII, qui foramen illud negat, conciliari poſſe videantur (*o*).

§. IV.

Deſcriptio nerui ſecundi paris.

Neruus tertii paris, veteribus vt VESALIO, FALLOPIO aliisque ſecundum par dictus, oritur ex cruribus cerebri pone eminentias mammillares, vbi craſſiſſimae illae columnae compreſſae, in quas vniuerſa cerebri medulla colligitur, retror-

(*k*) e. g. MERY. *Mem. Acad.* 1712. COWPERVS *Anat. of hum. body.*

(*l*) Conf. MORGAGN. *epiſt.* XVII. §. 38. 39.

(*m*) Quorum mentionem iam feci in *epiſt. de vaſis ſubtilioribus oculi. p.* 27.

(*n*) Vid. HALLER. *deſcr. arter. oculi. p.* 38. 42.

(*o*) Hiſtoriam pori huius nerui optici vide in MORGAGN. *epiſt.* XVII. §. 45. & *Comm. Boerh. T.* IV. §. DXVI. *not.* h.

retrorſum coëuntes, recta ſuperficie ſibi applicantur, ante protuberantiam annularem, vnde nullae tamen fibrae ad eos accedere mihi viſae ſunt (*p*). Singuli illi nerui originem trahunt fibris multis diffuſis, ex latere interno, quo duo illa crura ſeſe contingunt, prouenientibus, ſatis profunde, vt fibrae, quo ſunt interiores, eo profundiori loco naſcantur, & nonnullae ad ipſam commiſſuram anteriorem pertingere videantur. Fibrae illae diffuſae, in ipſa origine ſibi proxime vicinae & fere contiguae (*q*), inter arteriam cerebri poſteriorem, alterutrum nempe caudicem vertebralis bifidae, & arteriam cerebelli ſuperiorem, ex trunco arteriae vertebralis natam (*r*), in vtroque latere colliguntur in vnum neruum teretem, neruo ſexti paris duplo maiorem, qui inde a ſuo compari extrorſum ſecedens ſub alterutro caudice arteriae vertebralis anteriora verſus ad duplicaturam durae matris progreditur. Inter icones figura EVSTACHII, WILLISII, RIDLEYI & RVYSCHII optime veram originem horum neruorum exprimunt. Sic ſub tunica arachonoidea progreſſus offendit foramen in dura matre ad latus proceſſus clinoidei poſterioris (*s*), per quod loco editiori, ac reliqui orbitae nerui, ingreditur interuallum illud vtrique laminae durae matris a ſe inuicem ſecedenti interiectum, & compoſitum partim ex ſinu cauernoſo, ſanguine pleno, partim ex vaginis celluloſis neruos ambientibus, ſeptuliſque illos diſtinguentibus, quo exceptus inter laminam ſuperiorem durae matris & receptaculum antrorſum progreditur & ſimul parum deſcendit, in toto hoc itinere

(*p*) VIEVSSENIVS inde fibras ad hunc neruum deducit. *Libr.* III. *c.* II. *p.* 167.

(*q*) Quin VIEVSSENIVS origines inter ſe coaleſcere docet. *loc. cit.*

(*r*) Vid. RVYSCH. *Epiſt. Tab.* XIII. Ill. HALLERI *Faſc.* VII. *Art. cerebri T.* I. *explic. p.* 11.

(*s*) Vid. Ill. HALLERI *icon baſeos cranii lit. p.*

itinere ſepto poſterius craſſiori, anterius extenuato diſtinctus a neruo quarti paris, quem exterius, & opthalmico quinti paris, quem inferius & exterius ſibi habet appoſitum, quum ſextus cum receptaculo multo ſit inferior & in alio plane ſtrato (*t*). Dum autem progrediendo deſcendere pergit, cum ramo frontali quinti paris & pari quarto ſe decuſſat (*u*), quibus inferior & in progreſſu omnino tectus; vagina celluloſa ab vtroque ſecluſus ad orbitam properat; quam perforata dura matre, inter tendinem communem trium muſculorum rectorum oculi, & ramum naſalem opthalmici quinti paris ſubit, quibuscum ope multae celluloſae in vnum faſciculum vnitus, per interuallum inter vtrumque caput muſculi abducentis interceptum, cauum conicum a muſculis oculi formatum ſubit, ita, vt neruus tertii paris ſit interior, ſexti inferior, & ramus naſalis quinti exterior. Antequam autem orbitam intrauerit, in ipſo interuallo celluloſo durae matris in duos iam diuiditur ramos, alterum ſuperiorem minorem, alterum inferiorem maiorem, qui primum ſibi proxime vicini & inter ſe cohaerentes, quam primum neruus interuallum muſculi abducentis ſuperauerit, a ſe diſcedunt, quorum minor & ſuperior ſuper naſalem ramum quinti & neruum opticum ad muſculum attollentem & leuatorem palpebrae adſcendit, inferior autem isque maior, trunco e directo continuatus infra neruum opticum iter proſequitur (*x*).

Minor ergo ramus neruo optico primum exterius adiacens inter originem muſculi attollentis & neruum naſalem adſcendit, & primum muſculo illi aliquot praebet ramulos, qui in faciem eius inferiorem, in parte poſteriori, ſi muſculum

(*t*) Situm neruorum in receptaculo optime expreſſit BERRETINI *T.* XXI. *f.* 2. 3. RIDLEY. *T.* II. HALLER. *Tab. cit.*

(*u*) Vid. EVSTACHII *T.* XVIII. *f.* I.

(*x*) Eandem diuiſionem habent EVSTACHIVS *T.* XVIII. *f.* I. 3. VIEVSSENS *p.* 167. HALLER *icon. baſ. cran. explic. n.* 34.

lum in duas partes aequales diuidas, ſeſe demergunt; reliqua pars huius rami ſuperioris longe ad latus internum huius muſculi, cui multa celluloſa annectitur, procurrit, & demum in leuatorem palpebrae deſinit (*y*). Nunquam autem me videre memini, muſculum attollentem ramulo hoc leuatoris palpebrae perforatum, aut huius ramum ab ipſo trunco ortum fuiſſe (*z*).

Alter maior & inferior ramus, tectus neruo optico, incumbens muſculo deprimenti recta progreditur, & poſt emenſum aliquot linearum interuallum ſubito in tres diuiditur ramos, quorum alter interior ad muſculum adducentem, medius ad deprimentem, & exterior ad obliquum minorem procedit (*a*). Interdum bifariam finditur, &, ramo ad adducentem edito, truncus integer per lineae & vltra ſpatium progreſſus, in duos demum abit ramos (*b*), quos modo diximus, ſi nempe ramus obliqui minoris ramo deprimentis in origine arctius annectatur. Quaecunque autem adſit diviſio, ramus internus a trunco ſtatim oblique introrſum ſecedit, infra neruum opticum, & in muſculum adducentem ſe immittit. Ramus medius neruo optico ſubiectus, in trunci fere directione pergit, & itidem in muſculum deprimentem multis fibris diſtribuitur, proxime priori paulo tenuior, vt ipſe muſculus deprimens adducenti craſſitie cedit. Tertius denique ramus, qui fere ſemper edit radicem ad ganglion opthalmicum, inter muſculum abducentem & deprimentem longiſſime procurrit, & bulbo oculi tectus mediae

(*y*) Vtrumque pingit EVSTACHIVS *T.* XVIII. *f.* 1. 3. 4.

(*z*) Hanc ſententiam profert WINSLOW *Tr. des nerfs* §. 20. HEISTER *compend. anat. p.* 162.

(*a*) Hanc fabricam habet WINSLOW. §. 21. & pingit Ill. HALLERVS. *loc. cit.*

(*b*) Talia pingit EVSTACHIVS. *f.* 1. 3. 4. & habet VIEVSSENS. *p.* 167.

diae parti obliqui minoris, loco tamen fini quam initio propiori, ad angulum fere rectum inſeritur.

§. V.

Iter nerui quarti paris.

Neruus quarti paris aliis Patheticus, VESALII gracilior radix nerui tertii paris, in parium dignitatem adſertus a FALLOPIO (*c*) cui octauum par dicitur, & COLVMBO (*d*) nomine noni paris, neglectus & confuſus cum primo ramo quinti a reliquis (*e*), reſtitutus a WILLISIO (*f*), gracillimus, oritur a linea transuerſali, quae pedunculos a cerebello ad nates & teſtes vnit (*g*), radice aut ſimplici aut duplici (*h*), poſt breue tamen emenſum ſpatium in vnum coniuncta. Non raro tamen contingit, vt neruus in itinere in duos findatur funiculos, qui breui iterum in vnum truncum coeunt, quod ipſe interdum vidi (*i*). Ab illa origine extrorſum circa crura cerebri flexus ad baſin cranii deſcendit, & antrorſum ad foramen in dura matre ad latus exterius nervi tertii paris decurrit. Inde inter laminam durae matris ſuperiorem & ſinum petroſum ſuperiorem introrſum vergit, & ad tertium par propius accedit, quo exterior ſuper receptacu-

(*c*) *Obſeru. Anat. p.* 738.

(*d*) *De re anat. L.* VIII. *c.* III.

(*e*) *Confer.* §. 1.

(*f*) *Anat. cerebri c.* 21.

(*g*) Veram originem huius nervi primum deſcribit FALLOPIVS *loc. cit.* & EVSTACHIVS, *Oſſium Exam. p.* 205. edit. BOERH. quorum hic verba icone illuſtrauit. *T.* XVII. *f.* 2. Eandem pingit BERRETINI *T.* XXI. *f.* 1. accuratius definiunt WILLISIVS *T.* 3. VIEVSSENS *T.* 9. & 10. SANTORINI *Obſeru. Anat. Cap.* III. §. 15. MORGAGNI *epiſt.* XVI. §. 43. 44. & III. HALLERVS *Comm. Boerh.* §. DXVI. *not.* o. *Prim. lin. Phyſ.* §. 371.

(*h*) Vtramque fabricam in eodem homine ſibi obſeruatam delineat Ill. HALLERVS *icon. anat. cerebri T.* 3. SANTORINI triplici ſurculo hunc neruum ortum vidit. *loc. cit.*

(*i*) Similem habet obſeruationem RVYSCHIVS *Theſ.* VII. *n.* 10. HALLER *loc. cit.*

ptaculum antrorſum fertur (*k*), vagina celluloſa peculiari a neruo tertii paris, ſepto autem ſatis craſſo a receptaculo ſeiunctus (*l*). In ipſo illo tranſitu orbitae nunc proximus paulum deſcendit, & ad neruum frontalem a latere interno arctiſſime ſe applicat, cum quo leuiter adſcendens ſupra funiculum, quem tertium, ſextum par, & naſalis quinti conſtituunt, perforata dura matre orbitam ingreditur. Ab ipſo ingreſſu ad latus internum rami frontalis quinti oblique introrſum & antrorſum ſuper vtrumque leuatorem delatus ſenſim ramum frontalem comitem deſerit, & ad muſculum trochleatorem properat, cuius mediae fere carni multis ramis inſeritur. Omnes meae denique obſeruationes in eo conſentiunt, neruum hunc ab EVSTACHIO (*m*), FALLOPIO (*n*), WILLISIO (*o*), VIEVSSENIO (*p*), MORGAGNIO (*q*), & Ill. HALLERO (*r*) plurimisque recentioribus optime ita pingi atque deſcribi, vt ſine vllo ramulo ad alium muſculum dato, vnice in trochleatorem abſumatur; neque vnquam illum cum frontali ramo coniungi, quae WINSLOWI eſt ſuſpicio (*s*), qui praeterea ſcribit, ab hoc neruo in itinere in vtroque latere plurimos ſecedere ramulos, vel inde iam ſumme ſuſpectos, quod nullum muſculum, in quem abeant, memoret (*t*). Equidem nunquam ſimile quid vidi, & plurimi quoque Galli WINSLOWVM hac in re deſerunt (*u*).

§. VI.

(*k*) Situm huius nerui in receptaculo optime exhibet Ill. HALLERVS *icon. baſ. cranii.*

(*l*) VIEVSSENIVS nempe *p.* 16. affirmat diſerte, neruum hunc per receptaculum tranſire, & in medio ſanguine lauari, ad cuius opinionem WINSLOWVS quoque accedere videtur *Tr. de la tete.* §. 139.

(*m*) *Tab.* XVIII. *fig.* I. III. V.

(*n*) *Loc. cit.*

(*o*) *Loc. cit. p.* 113.

(*p*) *Loc. cit. p.* 168.

(*q*) *Epiſt.* XVI. §. 45.

(*r*) *Comm. Boerh. loc. cit.*

(*s*) Vid. *Tr. des nerfs.* §. 27.

(*t*) BONHOMME ſurculos ad leuatorem palpebrae ducit, *p.* 71. quos nemo vidit.

(*u*) v. g. PETIT in *edit. Palfyn.* SENNAC. & alii.

§. VI.

Iter nerui ſexti paris.

Neruus ſexti paris, cuius veram originem & finem primus recte dixit FALLOPIVS, cui quartum par dicitur, & poſt BAVHINVM reſtituit WILLISIVS (*x*), a protuberantiae annularis & corporum pyramidalium finibus oritur, origine tamen ſatis varia & inconſtanti, vt ſaepe in eodem homine origo lateris dextri ab origine ſiniſtri lateris differat (*y*). Ea tantum afferam, quae ipſe vidi. Cadauer fuit, in quo illum ortum vidi ex ipſo corpore pyramidali ab vtroque latere duplici radice, altera ſimplici & fere maiori, altera pluribus fibrillis compoſita, in vnum funiculum vnitis, vt duo trunculi duplicis illius originis ad radicem intercoſtalis vsque diſtincti procurrerent (*z*). In altero corpore inveni ortum itidem duplici radice, ſed ex pontis Varolii parte poſteriori, verſus latus externum, inter illum pontem & corpora oliuaria. Inprimis in homine adulto diuerſas vtriusque lateris origines huius nerui animaduerti. Altero enim in latere ortus fuit duobus ſurculis, quorum interior minor erumpebat ex ponte Varolii ad lineae ſpatium ante illius finem, exterior maior ex eodem ponte, ſed poſterius proxime ad ortum corporum pyramidalium. In altero latere origo fuit multis fibris inter ſe diſtinctis, quorum intimae ex ponte ortae ad duas fere lineas ante illius finem, exteriores adhuc ex ponte quidem, ſed quo exteriores, eo poſteriores, vt poſtremae ex ipſo angulo inter pontem & corpora pyramidalia, & nonnullae ex ipſis corporibus pyramidalibus aduenirent. Sic neruus aut ſimplex aut ex duobus trun-

(*x*) De his vide. §. 1.

(*y*) Plures obſeruationes circa originem huius nerui vide apud MORGAGN. *epiſt.* XVI. §. 47. & SANTORINI *p.* 66.

(*z*) Similem habet obſeruationem Ill. HALLERVS *Comm. Boerh.* *T.* IV. §. DXVI. *not.* g. & RVYSCH. *Theſ.* VII. *n.* 10. WINSLOW. *Tr. des nerfs.* §. 77.

trunculis ſibi adcumbentibus & in receptaculo demum vnitis compoſitus infra neruum quintum, magis tamen ad interiora duplicaturam durae matris intrat (*a*), a primo ingresſu in hedera poſteriori partis petroſae oſſis temporum adſcendit, & ſimul exteriora verſus vergit, & in ipſum ſinum cauernoſum ſanguine plenum ſe demergit, in quo carotidi ex canali egreſſae & ſecundum ſellam equinam flexuoſe antrorſum incuruatae, multa molli celluloſa adhaerens, radicem intercoſtalis edit (*b*). Quo dato in medio ſanguine ad latus exterius carotidis antrorſum delatus rubellus, & balneo ſanguinis calidi parum tumidus (*c*), carotidem introrſum & ſurſum flexam ſenſim deſerit, & ſupra originem venae opthalmicae ex ſinu cauernoſo prouenientis in orbitam penetrat, neruorum extimus, & cum ramo naſali quinti paris & neruo tertio, cuius ramo inferiori, interius multa celluloſa adnectitur, in vnum faſciculum iunctus & per interuallum muſculi abducentis in cauum muſculoſum ingreſſus, ſtatim muſculum illum abducentem adit, cuius faciei interiori multis ramis inſeritur. Vti de quarto pari dictum eſt, de hoc quoque obſeruationes meae me docuerunt, praeter radicem ad intercoſtalem in toto itinere ne minimum quidem ſurculum emitti.

§. VII.

Duplex radix, ſitus, & figura ganglii opthalmici.

Superſunt adhuc deſcribendi celebres illi neruuli ciliares, ex ganglio opthalmico orti, ad hiſtoriam neruorum oculi

(*a*) Vide Ill. HALLERI *icon. baſ. cranii.*

(*b*) Vide originem intercoſtalis pictam ab Ill. HALLERO *icon. baſ. cran. lit.* s. & a Cel. MECKELIO in *Tab.* adiuncta *Diſſ. de quinto pare neruorum cerebri.*

(*c*) Multum tamen mole augeri non videtur, vti PETITVS credidit *Mem.* 1727. & *Tab. add.*

culi perficiendam. Nemo enim, credo, hic facile quaeret deſcriptionem primi rami quinti paris, cuius omnes fere rami orbita iterum egrediuntur, vt ad propoſitum meum non pertineant, cuiusque praeterea plena iam & fuſiſſima data eſt deſcriptio a Cel. MECKELIO, vt vix, quod addi poſſit, ſupereſſe videatur. Vnice ergo leuiter hic attingam ramum ſic dictum naſalem huius primi rami quinti paris, qui & radicem longiorem ad ganglion opthalmicum, & praeter illam vnum alterumue neruulum ciliarem emittit. A primis Anatomiae temporibus illorum neruulorum iam a CAROLO STEPHANO (*d*) mentionem factam fuiſſe videmus, eosdemque vidit CASSERIVS (*e*), qui illos vocat neruulos tactorios, qui iuxta neruum opticum procedentes ſcleroticae implantantur, nec tamen originem eorum ſubiicit. Sed iam ante illum FALLOPIVS (*f*) tum ex neruo tertio paris, tum a ramo naſali quinti fibras ad oculi membranas abeuntes deſcribit, a quo VIDVS VIDIVS (*g*) ſurculos ex vtroque fonte modo dicto, LAVRENTIVS (*h*), BAVHINVS (*i*) & SPIGELIVS (*k*) fibras ex neruis motoriis ortas acceperunt. Etſi autem iam WILLISIVS (*l*) ſimile quid ganglii opthalmici vidiſſe videatur, qui fibras per tunicam ſcleroticam in vueam tendentes venire aſſerit ex plexu rotundo & paruo nerui motorii, radicem tamen a quinto pari ad ganglion illud omiſit, cum tamen ſurculi alii a ramo huius paris opthalmico ad vueam pertingentes ſibi praeteruiſi non fuerint. Nec meliora certe docuit VIEVSSENIVS (*m*). Duplicem quidem plexuli, quem dicit, neruorum ciliarium originem, & a quinti paris ramo naſali & a neruo tertio bene vidit, in eo tamen longi-

(*d*) *De diſſect. part. corp. hum.* L. III. *c.* X. *f.* 1. *ad lit.* C. *&* *fig. cap.* XI. *ad lit.* I.

(*e*) *Pentaiſth.* L. V. *Sect.* I. *c.* 15.

(*f*) *Obſeru. Anat. p.* 733.

(*g*) *De Anat. corp. hum.* L. II. *c.* 3.

(*h*) *Anat.* L. VII. *c.* 2.

(*i*) *Theatr. anat.* L. 3. *c.* 20.

(*k*) *Hiſt. anat. corp. hum.* L. IV. *c.* 17.

(*l*) *Cerebri Anat. c.* 21.

(*m*) *Neurogr.* L. III. *c.* III. *p.* 170.

longius a vero diſceſſit, quod pluribus & naſalis rami & tertii paris ſurculis plexulum formari ſcribat, & ex illo, praeter ſurculos ad membranas oculi, binos quoque ramulos ad muſculos adducentem & deprimentem deducat. SCHACHERO ergo debetur gloria, quod primus veram fabricam & originem huius ganglii deſcripſerit (*n*). Tertium enim neruorum par ramulum quendam de ſe ſpargere docet, qui cum ramuſculo quintae coniugationis commixtus ganglion efformat, ex quo plurima prodeuntia filamenta, ac neruum opticum circumligantia per ſcleroticam atque interiora diſtribuuntur. Poſt illum PALFYNIVS (*o*), PETITVS (*p*), WINSLOWVS (*q*), illud conſeruarunt, Ill. autem HALLERVS (*r*) primus iconem illius dedit in ſitu naturali, qui cum Cel. MECKELIO (*s*) deſcriptionem illius multis obſeruationibus ornauit. Icones, quas dederunt le CAT (*t*) & BONHOMME (*u*), rudiores ſunt minusque accuratae.

Ganglion ergo illud omnium fere in corpore humano minimum, rubellum, fere quadratum (*x*), longius tamen quam latius, vtroque latere compreſſum, ab interna parte, qua neruum opticum ſpectat, planiuſculum, ab externa convexum, adſidet externo lateri nerui optici aliquot lineas ab eius ingreſſu, cui neruo multa celluloſa iungitur, & pinguedine multa fluidiori inuolutum, ſub communi origine muſculi attollentis & capitis minoris muſculi abducentis, illique ſubiecto adipe ita latet, vt, niſi muſculo abducente pro-

(*n*) *Diſſ. de cataracta. Lipſ.* 1701. §. 9.

(*o*) *Anat. Chirurg. Tom.* I. *P.* IV. *c.* II. *p.* 407. 409. *edit. Petit.*

(*p*) *Mem. Acad.* 1727. *p.* 10.

(*q*) *Tr. des nerfs.* §. 22. 23. *de la tete.* §. 302. 303.

(*r*) *Icon. baſ. cranii.* vid. quoque *Comm. Boerh. loc. cit. lit.* p.

(*s*) *Diſſ. cit.* §. 47.

(*t*) *Tr. des Sens. T.* III.

(*u*) *Cephalotomie T.* X.

(*x*) Parum accurate lenticulare illud ganglion appellant PALFYN, BONHOMME, WINSLOW.

prope ortum diſciſſo, rite obſeruari non poſſit. Duplici fere ſemper gaudet radice, alia longiori & graciliori, alia breuiori & latiori. Breuior ne lineam quidem longa, ſed latiuſcula, plana, robuſtior oritur a ramo tertii paris, ad muſculum obliquum inferiorem miſſo, quam originem equidem ſemper conſtantem inueni (*y*), aut, ſi ramus ille cum ramo deprimentis longius cohaereat, a trunco, quem duo rami illi conſtituunt, quae fabrica Ill. HALLERO (*z*) occurrit. Quod ſi enim a ramo obliqui inferioris oritur, proxime tamen ſemper adſidet diuiſioni, vbi ramus ille a trunco communi ſecedit. A prima ſtatim origine directe ſurſum fertur, vt longe lateri inferiori ganglii ſe immittat. Simplex ſemper eſt, nec vnquam contigit videre plures fibrillas a ramo illo tertii paris ortas, vti VIEVSSENIVS affirmat(*a*), quem hac in re omnes recentiores omnino deſerunt.

Altera radix longior, multo tenuior, fere ſemper ſimplex, prouenit a ramo naſali nerui opthalmici quinti, nata iam extra orbitam, vt ab origine ſex vltra lineas procurrat, priusquam ganglio inſeratur (*b*). A prima origine diſtincta, cum trunculo, cui ope celluloſitatis inferius arcte adhaeret, orbitam intrat, & faſciculo nerueo ſaepe dicto iuncta, inter trunculum & neruum ſexti paris per interuallum muſculi abducentis cauum conicum muſculoſum ingreditur, quam ingreſſa neruum ſexti paris tranſit, & a trunculo, qui introrſum ſuper neruum opticum introrſum fertur, ſece-

(*y*) Eandem originem habent WINSLOW. *des nerfs*. §. 22. PLATNER *diſſ. de vulneribus ſuperciliorum p.* 171. MECKEL. *l. c.* §. 48. HALLERVS. *loc. cit.*

(*z*) *Comm. Boerh. l. cit. lit.* n. *Icon. baſ. cran. not.* 39. *Prim. lin. Phyſ.* §. DXV.

(*a*) *Loc. cit. p.* 167.

(*b*) EVSTACHIVS iam & FALLOPIVS ſurculos a ramo naſali ad oculi membranas abeuntes viderunt. Dici autem non poteſt, vtrum radicem ganglii longiorem, an ciliares ipſos ex naſali venientes viderint.

ſecedens, ganglii lateri poſteriori ſuperius ſe immittit (*c*). Haec quidem frequentiſſima eſt fabrica. Semel tamen duos ſurculos a naſali ortos & ganglio inſertos me videre viſus ſum. Interdum vtraque radix & breuior & longior ex tertii paris neruo prouenit, quod rarius quidem contingit, qualem tamen fabricam ab Ill. HALLERO (*d*) in lectionibus anatomicis publice demonſtratam videre me memini, quae etiam MORGAGNIO (*e*) & Cel. MECKELIO (*f*) occurrit Optime hoc ganglion in conſpectum venit, ſi diſciſſo capite minori muſculi adducentis, & pinguedine ſubiecta caute diuiſa, faſciculus ille nerueus quaeratur, cuius ductum ſequendo facillime illud in ſitu naturali inueſtigare licet. Neque vnquam quaerenti ganglion illud mihi defuit, quod GVNZIO (*g*) interdum contigiſſe videtur. Quid ſibi velit LOBE', non intelligo, qui a neruo tertii paris vna cum ramulo quarti paris in fundo orbitae plerumque duo vel tria ganglia parua, lenticularia, formari ſcribit (*h*). Nunquam ſimile quid occurrit.

§. VIII.

Neruuli ciliares ex ganglio illo orti.

Ex illius ganglii latere anteriori oriuntur neruuli ciliares, ſemper multo plures, ac aliis viſum fuit, alii craſſiores, alii tenuiores, ordine conſtanti, quem in omnibus, quotquot diſſecui, cadaueribus, obſeruare contigit, omnibus licet aliis praeteruiſum (*i*). Omnes nempe neruuli ciliares, qui

(*c*) Conf. WINSLOW., HALLER, MECKEL. *loc. cit.*

(*d*) Vid. praeterea *Prim. lin. Phyſ.* §. DXV.

(*e*) *Epiſt.* XVI. §. 59.

(*f*) *Loc. cit.* §. 48.

(*g*) *Libr. de humoribus purgandis. p.* 223.

(*h*) *Diſſ. cit.* §. 35.

(*i*) PETITVS quidem iam neruos in faſciculos circa neruum opticum colligi docet, qui perforata

qui ex ganglio opthalmico naſcuntur, inde ſemper proueniunt in duos collecti faſciculos, neruo optico adhaerentes, ſtatim ab origine diſtinctos, eo maiori autem inter ſe disiunctos interuallo, quo longius procedunt (*k*). Optime duo illi faſciculi in ſitu naturali in conſpectum veniunt, ſi diſſecto capite minori abducentis, eoque muſculo ſitu moto & exteriora verſus reclinato, pinguedo ſubiecta caute acie ſcalpelli diuidatur, vt aditus ad neruum opticum & faſciculos illos nerui lateri exteriori adhaerentes libere pateat, omnia tamen in ſitu naturali relinquantur. Quod ſi autem, vti vulgo fere fieri ſolet, pinquedo illa muſculis & neruo optico interpoſita, volſella ſenſim auferatur, vsque dum nerui & vaſcula vnice ſuperſint, fieri vix poteſt, quin adminiſtratione illa, ſitu naturali plane turbato, neruuli illi ita inter ſe diſtrahantur, vt ſinguli & inter ſe longe diuiſi ex ganglio illo oriri videantur.

Faſciculum ergo ſuperiorem, ad latus exterius & ſuperius nerui optici decurrentem componunt, vt primo quidem intuitu videtur, neruuli tres, prope originem celluloſitate in ſpeciem taeniae latiuſculae coniuncti, ſibique proxime vicini, & prope ingreſſum nerui optici demum paulo a ſe inuicem ſecedentes, quorum neruulus ſupremus in dorſo nerui optici decurrit (*l*), inferior ad latus externum, & tertius denique loco intermedio, omnes neruo arcte anne-

xi.

ta ſclerotica ad iridem pertingant, vt omnino pateat, illum hoc nomine nihil aliud niſi ipſos neruos voluiſſe, quorum tres, quatuor, ad nouem vsque ſe vidiſſe affirmat. MECKELIVS cum Ill. HALLERO numerum frequentiſſimum quaternarium conſtituit praeter ciliarem ex ramo naſali, illisque propria nomina impoſuit. §. 49.

(*k*) Num ſimile quid vidit MECKELIVS, vbi docet, ſe aliquoties duos tantum ramos ſimplices ex ganglio prodeuntes obſeruaſſe, in plurimos demum ramulos minores diuiſos? §. 51.

(*l*) Idem eſſe videtur ciliaris exterior ſuperior MECKELII. §. 49.

xi. Sed multo plures ſunt neruuli, quibus ille faſciculus componitur, ac primum apparent. Vterque quidem ſuperior & inferior huius faſciculi ſurculus plerumque ſimplex, & inferior paulo fortior obſeruatur, intermedium autem accuratiori examine, aut ſi ſcalpello ita ſtringatur, ac ſi in taeniolam illum explicare velis, frequentiſſime iterum ex tribus aliis tenuiſſimis fibrillis, a prima origine diſtinctis, ſibi parallelis, & ope celluloſae in vnum filum coniunctis compoſitum obſeruaui, quae, niſi attentius inſpiciantur, facillime pro filo ſimplici haberi poſſunt. Non eadem tamen diſtributionis lex in omnibus obtinet. Interdum enim neruulus intermedius in duas tantum ſecedit fibrillas, interdum tres ſurculi, quibus neruulus ille eſt conflatus, paulo maiores, primo intuitu in oculos ſtatim incurrunt, vt faſciculus ſuperior non ex tribus, ſed ex ſex ſtatim ſurculis compoſitus appareat; quae ſi adſit fabrica, faſciculus tunc inferior, ex paucioribus, & tenuioribus fibrillis plerumque conſtat. Omnes faſciculi huius ſuperioris ſurculi primum inter ſe paralleli, & celluloſa in taeniam iuncti, ad partem poſteriorem bulbi oculi delati ſenſim a ſe inuicem ſecedunt, & ſcleroticam alii neruo optico propiores, alii verſus mediam partem, diuerſis locis perforant, & in toto itinere aut omnes aut plurimi cum arteriola ciliari ſuperiori, vinculo celluloſo, arctiſſime ita connectuntur, vt difficillime ab illis ſeparari, & minus cautum facile fallere poſſint, & impediant, quo minus vera illorum diſtributio & egregius ille ordo rite conſpici queat.

Faſciculus inferior, maior, ex pluribus ſemper compoſitus ſurculis, primum ſuperiori proxime vicinus, prope oculum ad lineae fere ſpatium a ſuperiori disiunctus, vbi neruus opticus nudus apparet, decurrit ad latus nerui optici exterius & inferius, inter illum neruum & muſculum abducentem, ortus ex ganglio inter faſciculum ſuperiorem, & inſertionem radicis breuioris. Sex fere ſemper ſurculi conſpicui

ſpicui ad illum componendum faciunt, celluloſa tela inter ſe iuncti, quorum plurimi neruo optico paralleli, decurrunt, etſi illi non omnes adeo arcte adhaereant, quorum autem nonnulli, vt in ſuperiori contingit, iterum in duas treſue fibrillas ſecedunt; quae iunctae vnum tantum ſurculum ſimplicem mentiuntur (*m*).

Surculus quidem ſuperior, lateri exteriori nerui optici arcte adhaerens ſimplex plerumque ad oculum fertur, nonnulli autem ſunt ex ſequentibus, ſine vllo tamen conſtanti ordine, qui in duas treſue iterum abeunt fibrillas, tenuiſſimas, vti de ſuperiori faſciculo dictum eſt. Vnus ſemper faſciculi huius inferioris ſurculus, quem modo ſecundum, modo tertium eſſe comperi, diuerſo plane a reliquis decurſu, ab ipſa ſtatim origine faſciculum deſerit, & a reliquorum via ſecedit, qui neruo optico adhaerentes ad ſcleroticam properant. Ille autem ſurculus ſemper extrorſum verſus muſculum abducentem decurrit, & longiſſimo tractu per pinquedinem aberrans ad oculi demum partem poſteriorem peruenit, & ſcleroticam verſus mediam bulbi partem ſub muſculo abducente perforat (*n*). Decurſum huius ramuli icone exhibere viſum eſt, cum conſtans in omnibus oculis obſeruatus mihi fuerit. Superiores quidem faſciculi huius inferioris ſurculi ad latus externum nerui optici, cui arcte adhaerent, procurrunt, neruo illi & inter ſe paralleli, inferiores autem ſenſim infra illum introrſum tendentes ſe demergunt, eoque plane tecti ad bulbum oculi porro pergunt, ductu tamen ſatis inter ſe parallelo. Qui autem infimo demum loco oritur, & inſertioni radicis breuioris proximus (*o*), ab ipſa ſtatim origine infra neruum opticum, cui arctiſſime vbique adhaeret, ſe ſubducit, & vaſculis ciliaribus implicitus,

(*m*) Ad faſciculum hunc inferiorem tres reliqui neruuli ciliares MECKELII pertinere videntur.

(*n*) MECKELIVS quoque tenuiores ſurculos in pinguedine extrorſum aberrantes, & longiſſimo tractu ad ſcleroticam peruenientes vidit. §. 51.

(*o*) Eſt neruulus ciliaris interior ſuperior MECKELII.

tus, ſub neruo optico introrſum migrat, ad latus autem internum nerui optici iterum in conſpectum venit, vbi in latere eius ſuperiori & interiori plerumque cum neruulo ciliari ex ramo naſali oriundo coniungitur. Interdum tamen ille neruulus ſolus, nec vlli iunctus, a latere interno nerui optici ad ſcleroticam properat, & tunc illius vicem ſupplet ſurculus quidam, quem ex ordine tertium eſſe vidi, faſciculi inferioris, qui in exteriori nerui optici latere infra faſciculum ſuperiorem tranſit, & neruulo ciliari ex naſali oriundo iungitur.

Praeter neruulos enim ex ganglio opthalmico oriundos ſcleroticam adeunt, vnus & interdum duo ſurculi, nati ex ramo naſali rami opthalmici, vbi ille oblique ſuper nervum opticum interiora verſus tranſit, qui in omni itinere arctiſſimo nexu adhaerent in dorſo nerui optici, recta antrorſum delati, quorum alter, ſi duo adſint, isque interior cum ciliari infimo neruo ganglii in latere interno, aut exterior cum ſurculo oblique adſcendente faſciculi inferioris in latere ſuperiori nerui optici coniungitur, alter autem indiuiſus ad oculum procurrit. Si vnus modo adſit, in dorſo nerui optici plerumque cum faſciculi inferioris ſurculo infimo ad latus interius nerui adſcendente anaſtomoſi facta coniungitur (*p*). PETITVS (*q*) ſurculos quosdam a ſexto pari neruulis ciliaribus

(*p*) Praeter EVSTACHIVM, qui *T.* XVIII. *f.* I. ciliarem ex ramo naſali ortum ita exhibet, vt neruulo modo dicto melius, quam radici longiori reſpondere videatur, FALLOPIVM certe ſurculos illos naſalis vidiſſe fere mihi perſuadeo, qui docet, *p.* 734. a naſali, cum per tranſuerſum inter muſculos declinat, aliquot tenuiſſima filamenta diſſeminari per pinguedinem, quorum quaedam iuxta neruum opticum ad oculi tunicam percurrant, quae quidem verba vix radici longiori conueniunt. Sed etiam VIEVSSENIVM eundem vidiſſe crediderim, vbi *p.* 171. dicit, naſalem dare primo ſurculum, qui ſupergreſſus neruum opticum, e regione canthi maioris oculi ſcleroticam ſubeat, poſt quem neruulum illum, interdum duplicem, aliis neglectum reſtituit Cel. MECKELIVS §. 49. 51.

(*q*) *Mem. Acad. Sc.* 1727.

bus ſe adiungere credit, quos autem nulla recentiorum induſtria confirmauit, neque vnquam ſimile quid vidi. Ganglion autem diſerte tantum ex ramo tertii & quinti paris componit. Omnes illi neruuli ciliares, (ſi vnicam anaſtomoſin inter naſalem, & ſurculum faſciculi inferioris excipias), indiviſi, nulla diuiſione in ramulos fiſſi, vnice ſecedentes, qui celluloſa fabrica antea iuncti fuerant, ſinguli, diſtincti, ad bulbi partem poſteriorem pertingunt, & tot certe neruuli, neque plures, neque pauciores, ſcleroticam perforant, quot ex ganglio opthalmico proueniunt; Nullibi autem plexum inter ſe faciunt, aut anaſtomoſi inter ſe iunguntur (*r*), quod euidentius adhuc apparet, ſi ex oculi interioribus retrorſum verſus originem illos proſequi velimus. Easdem enim fibrillas nerueas, alias maiores, alias tenuiſſimas ſingulas & indiviſas ad originem ex ganglio vsque perducere poterimus, quas ex ſclerotica exire animaduertemus. Quae quum ita ſint, non facile cuidam mirum videbitur, neruulos ciliares ex ganglio oriundos plures ſemper mihi viſos fuiſſe, ac alii animaduerterunt. Dum enim obſeruationes meas inter ſe conferam, quatuordecim circiter ex ganglio oriri comperi, in duos faſciculos ita diſtributos, vt ſex ad faſciculum ſuperiorem, & reliqui ad inferiorem pertineant, quorum tenuiores nonnulli in vnam fibrillam maiorem iungi, ſuperius monui, vt pauciores, ac reuera ſunt, adeſſe videantur. Ipſa autem naturae inconſtantia, quae in eiusmodi ſubtilioribus nullibi certis legibus ſe adſtringit, ſatis vetat, quo minus certi quid circa conſtantem illorum numerum determinari poſſit. Non adeo multum abludunt, quae de numero illorum habet MECKELIVS, qui, licet quatuor ſurculos ex ganglio natos frequentius reperiri dixerit, ſingulos tamen in duas tresue fibras ſecedere ante inſertionem in ſcleroticam docuit, vt decem ad duodecim bulbi partem poſteriorem ſubire videantur (*s*).

Ner-

(*r*) Neruulos ciliares plexum inter ſe formare docet VIEVSSENS *p.* 170. & Cel. MECKELIVS. §. 49.

(*s*) RVYSCHIVS, ſex ſeptemque ple-

Neruuli hi ciliares circa ingreſſum nerui optici tela celluloſa fortiori irretiti, & arteriolis ciliaribus impliciti ſcleroticam ſubeunt, alii haud ita procul ab nerui optici inſertione, alii autem ad bulbi medium propiores, quod interuallum inter horum & nerui optici inſertionem transuerſum digitum ſaepe aequare memini (*t*), nec illam directe perforant, ſed oblique inter laminam acceſſoriam, piae matris nerui optici propaginem, & veram ſcleroticam proprie ſic dictam ad longitudinem aliquot linearum decurrentes prope mediam fere bulbi partem in interna eius ſuperficie apparent (*u*), quo in tranſitu frequentiſſime comites ſibi habent ſurculos tum arterioſos tum venoſos. Sic inter ſcleroticam & choroidem iridem verſus decurrunt in taeniolas latiores expanſi (*x*), duabus interdum fibrillis in vnum filum iunctis, & excepti ſulcis ſcleroticae faciei internae inſculptis (*y*), itinere parallelo rectiſſimo, plerumque indiuiſi & non ramoſi, vsque dum ad orbiculum ciliarem pertingant. Interdum tamen contingit, vt nonnulli neruuli vicini & parallelo ductu antrorſum delati fibrillis oblique transuerſis inter ſe iungantur. Nullos autem hoc in decurſu ramulos ad choroidem emitti, in illamque deſinere, certiſſimus repetito accuratiori examine poſt RVYSCHIVM (*z*) affirmare auſim. Neruuli hi ciliares in externa

plerumque vidit *Theſ. Anat.* II. *Aſſ.* I. *n.* 7. monuit tamen alibi, in aliis eſſe numeroſiores, in aliis pauciores. *n.* 16 Eosdem delineat. *Epiſt.* XIII. *f.* II. PETITVS tres, quatuor, ad nouem numerat. *p.* 11.

(*t*) PETITVS & MECKELIVS neruulos ciliares in varia a nerui optici inſertione diſtantia ſcleroticam ſubire docent *M. A. Sc.* 1727. *p.* 10. *diſſ. cit.* §. 52.

(*u*) Obliquum hunc decurſum vterque modo dictus obſeruauit. *l. c.*

(*x*) Neruulos ciliares in choroidis exterioris facie decurrentes, multi pro ligamentis habuerunt vti MOVLINS. Vid. *Act. erud.* 1684. *M. Dec.* (MANFREDI apud MANGET. *Biblioth. anat. p.* 189. ic. 1) BLANCARD. *Anat. ref. cap.* XII. *p.* 306.

(*y*) Sulcos illos neruulis reſpondentes in oculo bubulo iam animaduerterunt BLANCARD *l. c.* & MORGAGNI. *Epiſt.* XVI. §. 59.

(*z*) *Theſ. Anat.* I. *Aſſ.* II *n.* VII. *not.* 3. Aſſeclae autem Theoriae

terna choroidis facie decurrentes quatuordecim circiter inveniuntur, quem tamen numerum interdum paululum excedunt, interdum paululum infra illum ſubſiſtunt, alii latiuſculi, taeniolas albas repraeſentantes, quorum fere quatuor ad ſex reperio, alii tenuiſſimi, & viſum fere effugientes, alii ſibi proxime vicini, alii ſatis magno interuallo inter ſe disiuncti. Vbi ad orbiculum ciliarem perueniunt, in duos diuiduntur ramulos maiores bifurcata diuiſione, qui celluloſa tela orbiculi ciliaris tecti circa originem iridis ludunt, & ſenſim in ramulos minores abeunt, ad iridem delati, vbi vaſculis minimis interpoſiti, ſerpentino flexu ad annulum minorem excurrunt, & in iride magnam partem fibrarum radiatarum albarum, quae vaſis eius interpoſitae ſunt, efficiunt. MANFREDI (*a*) & poſt eum ST. YVES (*b*) ſingulos neruulos ciliares in duos ſic findi ramos perhibent, vt alter ad iridem, alter ad proceſſus ciliares abeat, & Ill. HEISTERVS (*c*) plurimas fibrillas illis impertiri docet; qua in re omnes fere, quibus proceſſus ciliares muſculoſi videntur, ſibi habet conſentientes. Sed poſt ſaepius repetitam huius fabricae indagationem fere crediderim, omnes, in quos diuiduntur horum neruulorum ſurculos, orbiculum ciliarem, ſi ille auferatur, ſequentes, vnice in iridem deſinere, nec vnicam forte fibrillam ad proceſſus ciliares pertinere, quos ex meris vaſculis eſſe conflatos, nec muſculoſi quid habere, omnes meae obſeruationes ſatis mihi perſuadent (*d*).

riae Mariottianae multas fibrillas in choroidem abire docent. e. g. le CAT. *Tr. des Sens. p.* 154. TAYLOR. *Tr. anat. oc. p.* 52. nec aliter ſentire videtur Ill. GVNZIVS *lib. de humoribus purgandis Hipp. not.* 94. *p.* 224.

(*a*) Vid. MANGET. *Biblioth. anat. p.* 189. *ic.* I.

(*b*) *De morbis oculi. p.* 23.

(*c*) *Diſſ. de choroid.* §. 28.

(*d*) Vid. ſuperius *cap.* de iride. §. IV.

CA-

Capvt. X.

DE ARTERIIS OCVLI.

§. I.

Deſcriptio arteriae opthalmicae eiusque ramorum.

Inter omnes oculi partes nulla fere eſt, cuius hiſtoriam ita excultam perfectamque habemus, quam arteriarum oculi, quarum deſcriptionem pleniſſimam, plurimisque obſeruationibus nixam Ill. de HALLER a recentiſſimis temporibus dedit (*a*), vbi omnia ita iam occupauit, vt vix, quid addi poſſit, ſupereſſe videatur. Taediosum ſane foret, obſeruationes illius ex libro in librum transferre, neque tamen hanc partem nimia breuitate tractare licet, ne opus hoc, quod ſuſcepimus, mancum & hiulcum foret. Eam ergo hic deſcriptionem arteriarum oculi addam, qualem obſeruationes meae mihi ſuggerunt, quae cum deſcriptione Ill. HALLERI facile comparari poteſt, vt, quantum vtraque inter ſe conueniat, inde appareat. Ramos opthalmicae maiores ſaepius & vlterius perſecuturo ipſa fata mea obſtiterunt, quae eam cadauerum copiam mihi non fecerunt, quae ad illorum hiſtoriam repetitis vicibus indagandam requirebatur. Decurſum autem vltimorum in choroide & iride propaginum miramque fabricam, quam ibi componunt, ſuperius, cum de choroide agerem (*b*), ita iam propoſui, vt ſine taedio repeti

(*a*) In hiſtoria nempe arteriarum oculi *faſciculo* VII. *icon. anat.* inſerta.

(*b*) *Cap.* I. *de choroide Sect.* I. II. III.

repeti non poſſe videantur. Breuiter ergo illa tantum attingam, quae ad confirmanda aut illuſtranda ſuperius dicta facere poſſe crediderim.

Arteria opthalmica oritur ex arteria carotide, qua ſede ex receptaculo verſus poſteriora & interiora ſe conflectit, vnde ſtatim ſub neruo optico lateri exteriori propior per craſſitiem oſſis incedit, intra vaginam neruo a dura matre datam, in omni hoc itinere multa celluloſa irretita (*c*). Nunquam autem ego quidem vidi, arteriam hanc per ſulcum in parte ſuperiori foraminis optici exſculptum ad orbitam penetraſſe. Hoc in tranſitu nonnullos praebet ſurculos durae matri & ipſi ſubſtantiae nerui optici, cum vaſculis a carotide datis, in ſuperficie nerui anaſtomoſi iunctos. Orbitam ingreſſa in duobus ſubiectis primum ſtatim emiſit arteriam centralem, & reliqua demum vaſa, ea ſerie, quam in duobus oculis accuratius adnotatam hic exhibebo.

In primo ergo exemplo ipſa centralis omnium primum nata praebuit arteriam ciliarem inferiorem, porro centralem, tunc ex trunco nata fuit arteria ad latus exterius nervi optici, quae ſuper arteriam centralem transuerſim incedens, deſcendit, in duos ſtatim ramos diuiſa, quorum alter abiit in ciliarem exteriorem maiuſculam, octo fere ramulis bulbo inſertam, alter ramos muſculo depreſſori & abducenti miſit, inter vtrumque muſculum anteriora verſus progreſſus. Deinde opthalmica dedit lacrymalem, quae edito ramulo neruo frontali ad glandulam ſuam delata in eius vicinia cum ramo perforante arteriae temporalis profundae iuncta fuit. Inde opthalmica in cauo muſculoſo ſuper neruum opticum introrſum procedens, edidit arteriam ciliarem interiorem ſuperiorem, deinde ex ordine muſcularem inferiorem, inprimis ad muſculi depreſſorem & adducentem delatam, ſupra-

(*c*) Conf. BERRETINI *Tab. anat.* XXI. *fig.* VI. ad *lit.* k. HALLERI *icon. baſ. cranii* faſciculo *icon. anat.* I. *inſert. ad lit.* f.

praorbitalem, ramulos ad obliquum ſuperiorem & duram matrem, ethmoideam poſteriorem retrorſum flexam, ethmoideam anteriorem, & tarſeam.

In altero oculo. Opthalmica, quam primum ſub neruo in orbitam venit, edidit muſcularem inferiorem, trunco dimidio fere aequalem, vnde natae fuerunt, primum centralis, poſt illam ciliaris inferior interior, rami ad muſculum adducentem, & deprimentem & denique ad muſculum obliquum inferiorem. Muſculari illa inferiori edita, truncus opthalmicae iunctus fuit anaſtomoſi ſat magna cum arteria altera acceſſoria, quae propago arteriae meningeae cum ramo primo nerui quinti paris allata fuit, multis in itinere per duplicaturam durae matris ſurculis emiſſis, ad neruos in tranſitu illo vicinos, duramque meningem. Anaſtomoſi cum arteria illa facta truncus praebet ciliarem exteriorem ſuperiorem, quae in duos ramos diuiſa fuit, quorum alter in plures minores ſurculos ſolutus ſcleroticam perforauit, alter tenuior inprimis ad nerui tunicam abiit. Inde oblique ſuper neruum introrſum progreſſus in itinere dedit ſupraorbitalem, nerui frontalis comitem, ramos ad neruum opticum & originem muſculi obliqui ſuperioris, ad muſculum attollentem, & ethmoideam poſteriorem, tunc antrorſum delata, ethmoideam anteriorem, palpebralem anteriorem & ſuperiorem. Arteria autem acceſſoria poſt factam anaſtomoſin cum trunco in lacrymalem abiit, quae in itinere primum praebuit arteriolam ciliarem tenuiſſimam ramum ad muſculum attollentem, & abducentem. Prope glandulam ramum, qui, perforato oſſe temporum cum temporali profunda iunctus fuit, glandula autem ſuperata in duos ramos bifida abiit, quorum alter ad tempora ſuperficialis excurrit, alter ad palpebram ſuperiorem miſſa fuit, ad conſtituendum cum propagine trunci opthalmicae arcum tarſeum (*d*). Ad decurſum opthalmicae addere

(*d*) Confer. *hiſt. art. oculi. p.* 38. ſqq.

dere quoque viſum eſt, illam quoque ſub neruo optico progreſſam animaduerſam mihi fuiſſe.

§. II.

Arteriolae ciliares breues.

Propius nunc accedamus ad hiſtoriam arteriarum ciliarium, quarum fines in iride & proceſſibus ciliaribus ſuperius iam deſcripſimus. Dum omnes meas obſeruationes in iis quoque cadaueribus factas, vbi reliquorum ramorum opthalmicae ſeriem proſequi non licuit, inter ſe confero, ex omnibus illis elicio, frequentiſſime mihi viſas fuiſſe duas arterias ciliares maiores, alteram exteriorem, & ſuperiorem, alteram interiorem & inferiorem (*e*), quibus accedit vna alteraue arteriola tenuior, quae gracillima in pauciſſimos tantum ſurculos in ſcleroticae parte poſteriori diuiditur. Ciliarium maiorum aut vtraque, aut alterutra tantum ex trunco nata fuit, cum altera plerumque ex muſculari inferiori, tunc in illis ſubiectis grandiori proueniret. Tenuiores origine varia modo ex opthalmica, modo ex lacrymali, modo ex muſculari inferiori ortas animaduerti. Vtraque ciliaris maior, exterior, & inferior, quae interdum centralem edit, ſerpentinis flexionibus ſecundum neruum procedens aut in medio itinere, aut, quod ſaepius fere contingit, propius ad bulbum oculi in plures diuiditur ramulos, editis in itinere nonnullis ad inuolucrum nerui ſurculis minoribus. Arteriolae autem, quas voco tenuiores plerumque ſine vllo fere ramo & rectiori tramite ſuper neruum incedentes ad bulbum perueniunt. Semper autem ſurculi aliquot ciliarium & maiorum & tenuiorum in celluloſa, quae inuolucrum nerui cum ſclerotica coniungit, vtrinque ramum edunt, qui cum

(*e*) Sic duos trunculos maiores ciliares habet Ill. HALLERVS *icon. baſ. cranii*, *faſc.* I. *tab. art. facial. explic. vaſor.* III. *p.* 15. *arter. oculi tab. f.* 2. *explic.*

cum ſimilibus ſurculis aliorum ciliarium iuncti circulum efficiunt, fini nerui optici circumpoſitum, in quem ſurculi quoque ex ipſa pia matre nerui optici aduenientes inſeruntur, ex quo circulo ramuli enati perforata ſclerotica cum reliquis choroidem adeunt (*f*). Arteriolae enim ciliares in parte poſteriori ſcleroticae in plures finduntur ſurculos, vt quindecim, viginti & vltra ramuli ſcleroticam perforent, alii autem tenuiores ſcleroticae exteriorem faciem pingant, in medio fere bulbo propaginibus arteriarum ciliarium anteriorum iuncti. Qui autem ſcleroticam perforant, duorum ſunt ordinum, aliae plures & poſteriores, quae ciliares breues dicuntur, aliae multo pauciores, anteriores, quarum numerus binarium raro excedit, quae longae dicuntur.

Ciliares breues ſiue poſteriores, ſaepe vltra viginti, neruo optico quidem propiores, quam arteriolae ciliares longae, diuerſa tamen ab illius ingreſſu diſtantia, ſcleroticam ſatis recto itinere perforant, aliae maiores, aliae minores. Omnes ab ingreſſu arbuſcularum ſimiles, ad acutos angulos ramoſi, per choroidem antrorſum pergunt, ita vt rami inde enati denſiſſima ſerie ſibi appoſiti paralleli fere inter ſe decurrant. In itinere frequentiſſime ramis transuerſis inter ſe vniuntur. In externa facie choroidis pone orbiculam ciliarem frequentioribus, quam in poſteriori parte choroidis, anaſtomoſibus inter ſe coniunguntur; Nunquam tamen in homine elegantiſſimam illam fabricam obſeruaui, quam in oculis animalium, vti veruecis aut bouis animaduertere licuit, vbi omnes arteriolae ex choroide aduenientes ad oram poſteriorem orbiculi ciliaris transuerſis ramulis in eodem fere plano ita inter ſe vniuntur, vt circulum conſtituant, quem ſurculi

(*f*) Circuli illius primum mentionem feci in *epiſt. de vaſ. ſubtilioribus oculi p*. 27. & illum quoque pingit HALLER. *tab. art. oculi. f*. 4. ad *lit*. i.

ſurculi laterales ex ciliaribus longis tranſeuntibus emiſſi perficiunt, ex quo circulo plurima vaſcula ſerpentina ad alterum circulum in ipſa iride fluitante poſitum, & a ciliaribus longis factum, abeunt, vt nullus ramulus vllius arteriae ciliaris poſterioris in iridem peruenire queat, niſi qui circulo illi poſteriori choroidis immiſſus fuerit (*g*). In homine autem vix niſi veſtigium huius circuli animaduerti; multa tamen ſunt, quae ſuadent, circulum ibi quoque adeſſe, ſed multo ſubtiliorem, in quem, modo fata permittere velint, accuratius & ſaepius inquirere eſt animus. Ab eo inde loco plurima vaſcula, tecta celluloſitate orbiculi ciliaris, ſed multum extenuata, circulum iridis adeunt, cui in ambitu immittuntur, vti alia cum ciliaribus anterioribus communicant.

Arteriolae enim ciliares breues antrorſum delatae in exteriori facie choroidis ſenſim extenuatae & rariores apparent; quae ſenſim ab anteriori illa facie ſecedunt, & concavam choroidis faciem petunt, vbi trunculi plurimi ſibique paralleli, multo magis, quam in poſteriori parte conſpicui incedunt, & ad oculum denique in plicas proceſſuum ciliarium producuntur. A concaua autem illa facie omnia illa vaſcula teguntur reticulo ſubtiliſſimorum vaſorum, vnde innumeri ſecedunt flocculi, quae illam faciem vndique villoſam, & in plurimis animalibus pulchris coloribus fulgentem reddunt, cuius fabricae ſuperius fuſiorem dedi deſcriptionem (*h*).

§. III.

(*g*) Circulum illum in oculis animalium deſcripſi & delineatum dedi in *Obſeruationibus de differentia fabricae inter oculum humanum & brutorum, Comment. Soc. Reg. Scient. Gotting. T.* IV.

(*h*) Cap. de *chorioide Sect.* I. §. VI. VII. & *Sect.* II. §. VI. conf. HALLERI quoque *hiſt. art. oculi. p.* 48.

§. III.

Arteriolae ciliares longae & anteriores cum circulo iridis.

Alter ordo ciliarium longarum eſt, quae NVCKIO (*i*) & HOVIO (*k*) fontes aut ductus aquoſi dicuntur, melius deſcriptae a Cel. FERREIN (*l*) accuratiſſime examinatae ab Ill. HALLERO (*m*) propagines ſunt, vti priores, arteriarum ciliarium trunculorum, & ſcleroticam, vti neruuli, quorum perpetuae ſunt comites, oblique perforant, vt ad duarum linearum a neruo diſtantiam in interiori facie ſcleroticae ex illius ſubſtantia demum emergant. In homine vix vnquam vltra duas vidi, ſingulas in vtroque latere, cum in animalibus vtrinque binae ſibi viciniſſimae parallelae animadvertantur. Arteriolae illae, exterius breuibus impoſitae, neruulis arctiſſime iunctae, recta anteriora verſus decurrunt, nonniſi paucis & minimis ramulis ad choroidem emiſſis. In ea ſede autem, vbi choroides cellulofitate orbiculi ciliaris obducitur, quaelibet arteriola longa in ramos duos maiores diuaricatur, qui ad obtuſiſſimum angulum diſcedunt, & oblique antrorſum delati, in margine exteriori iridis ſimilibus ramis ex diuiſione alterius arteriolae longae natis occurrunt, vnde circulus maior iridis naſcitur. Ex ipſo autem angulo bifurcationis, & ex vtroque ramo arteriae longae oriuntur multi rami, qui in principio iridis ſimili modo diuaricantes occurrunt arteriis ciliaribus anterioribus, illisque iuncti annulum interiorem efficiunt, qui vtrumque caudicem cuiuslibet arteriae longae inter ſe connectit. Duplex ergo maxima ex parte eſt circulus iridis, compoſitus ex annulo exteriori

(*i*) *De duct. aquoſ. c.* 1. *Tab.* VI. *f.* 1.

(*k*) *Libr. ſaepe cit.*

(*l*) *Mem. Acad. ſcienc. Par.* 1741. *p.* 379.

(*m*) *Hiſt. art. oculi. p.* 45. ſqq.

riori & interiori (*n*). Exteriorem annulum conſtituunt bini ramuli arteriarum longarum, qui a ſe inuicem ſecedentes comparibus ramulis arteriae longae alterius lateris inſeruntur, qui annulus exterior maxima ex parte celluloſitate obducitur. Annulus autem interior componitur ex plurimis arteriolis ciliaribus anterioribus, & ramis ex vtroque caudice arteriarum longarum enatis, quorum rami laterales inter ſe iuncti in annulum vndique clauſum & continuum confluunt, vnitum cum duobus ramulis arteriarum longarum, vbi ſibi inuicem inſeruntur. Sed hic quoque annulus interior multis in locis iterum aliqua ex parte duplex eſt, cum ſaepe duo ſurculi longe paralleli decurrant, priusquam inter ſe vniantur; Vndique ille flexuoſus ſerpentino ductu incedit, ipſam oram exteriorem iridis vndique legit, vt maxima ex parte ſtatim in oculos incurrat, cornea vndique abſciſſa, etſi celluloſitas orbiculi ciliaris nondum ablata fuerit (*o*).

Priusquam autem ad deſcribendas propagines ex circulo iridis prouenientes accedam, dicendum adhuc eſſe videtur de arteriis ciliaribus anterioribus. Nempe rami arterioſi muſculos ſequentes emittunt duos tresue ſurculos, qui cum tendinibus muſculorum ad ſcleroticae partem anteriorem corneae proximam perueniunt, vbi in plures finduntur ramulos, quorum tenuiores per omnem ambitum ſcleroticae diſperſi partem inprimis eius anteriorem pingunt, maiores autem per arcus ſaepe inter ſe iuncti alii corneae propiores, alii remotiores ſcleroticam perforant. Sed interdum ad illos vidi accedentem vnum alterumue ſurculum, natum ex arteria palpebrali ſuperiori, per coniunctiuam huc delatum, qui cum reliquis arteriolis anterioribus, quibus vix mole cedere viſus eſt, ſcleroticam perforauit. Omnes illi ſurculi

(*n*) Vid. *tab. arter. oculi. f.* 5. 6.

(*o*) Ill. HALLERVM primum fuiſſe, qui circulum arterioſum ex homine pinxerit, reliquorum autem icones ad fabricam animalium pertinere, docui in *Obſeru. de diffeR. fabricae* &c. *T.* IV. *Comm. Soc. Sc. Gott.*

culi arterioſi per celluloſam orbiculi ciliaris antrorſum delati maxima ex parte circulo iridis ſe immittunt, & inprimis multum ad perficiendum annulum interiorem faciunt, nonnulli ipſum circulum praetergreſſi, continuo iridem adeunt, aliquot autem ramuli in parte pallida choroidis celluloſa tecti propaginibus arteriarum breuium ibi inſeruntur (*p*).

Ex circulo ergo interiori, qui a poſteriori parte arterias ciliares longas, & anteriores, & ramulos breuium recipit, ab anteriori facie proueniunt vaſcula iridis, quae parallelo ductu incedentia, ſed flexuoſa tamen ad annulum iridis minorem tendunt, ad cuius oram maiora, inſtar vaſorum meſentericorum, per arcus inter ſe iunguntur, qui tenuiora a facie concaua recipiunt. Tantum autem abeſt, vt omnia ex circulo maiori orta vaſa ad oram annuli minoris per arcus inter ſe coëant, vt plurima ſine vlla maiori anaſtomoſi cum vicinis inter arcus recta ad annulum minorem tendant, vbi in minores ſurculos diuiduntur, quibus accedunt ramuli ex conuexitate arcuum orti. Omnia illa vaſcula in annulo minori ita inter ſe iunguntur, vt, ſi in oculo poſt feliciſſimam repletionem decurſum illorum examines, facile appareat, alia quidem recta ad oram interiorem pupillae venire, alia autem in alterutrum latus deflecti, & itinere cum ora pupillae parallelo decurrere, quae ſurculos recta ad pupillam tendentes recipiant, & crebris anaſtomoſibus cum illis iunguntur, vnde (*q*) in fetu vaſcula tenuiora vltra oram iridis producta ope tenuiſſimae interpoſitae celluloſitatis membranam ſic dictam pupillarem formant (*r*).

§. IV.

(*p*) Conf. *hiſt. art. oculi. p.* 46. *f.* 4.

(*q*) Vid. ſup. *cap. de chorioide. Sect.* III. §. IV.

(*r*) Ill. ALBINVS, praeter alios ſupra dictos, membranam pupillarem quoque deſcribit & pingit *Acad. Annot.* L. I. *cap.* VIII. *Tab.* I. *f.* 13. 14.

§. IV.

Arteriae retinae ex centrali ortae.

Neruus opticus in ipſa iam cauitate cranii prope coniunctionem plurimos accipit ſurculos tenuiſſimos ex ipſo trunco carotidis ortos, qui in pia matre ſubſtantiae eius medullari circumpoſita ludentes cum neruo ad orbitam pertingunt, & ibi cum aliis ſurculis ab opthalmica ortis communicant. In omni enim itinere neruus opticus a vicinis ramis plurimos accipit ſurculos, interdum non ita paruos (*s*) qui in vtroque eius inuolucro decurrentes inter ſe iunguntur, & demum nonnullis ramulis circulo arterioſo circa nerui optici inſertionem in bulbum poſito immittuntur, vbique autem tenuiſſimas propagines in ſubſtantiam nerui demittunt, quae in celluloſitate funiculis medullaribus circumpoſita delatae, & diſſectae, poroſam nerui fabricam efficiunt. Semper autem arteriola maiuſcula ad mediam axin nerui penetrat & veram centralem conſtituit (*t*). Ortam illam vidi ex trunco opthalmicae ante omnes reliquos ramos, ex alterutra ciliari, & ex muſculari inferiori, quae ſurculis ad duram matrem & piam meningem nerui emiſſis oblique ſubſtantiam illius perforat, & per mediam fere axin ad oculum delata, cum ſubſtantia medullari per medium porum maiuſculum laminae cribroſae ad retinam pertingit, quae non repleta in neruo diſſecto medio & illa lamina porum relinquit, ſub nomine pori optici veteribus iam notum (*u*). Ab illo ingreſſu in ramos maiuſculos ſanguine plenos magnis angulis quaqua verſum diuiditur, qui ſanguinei & ramoſi ad anteriorem terminum retinae pertingunt. In oue arteria centralis

(*s*) Vide *icon. baſ. cranii* & *Tab. art. oculi. f.* 2.

(*t*) Arteriam illam optime deſcriptam in neruo optico pingit Ill. HALLERVS *Tab. art. oculi. fig.* 4. 7.

(*u*) Porum illum a Veſalio reiectum reſtituit & expreſſit EVSTACHIVS *Tab.* XXXX. in omnibus fere figuris, & *in examine oſſium, edit. Boerh. p.*

tralis duos maiores ad oram anteriorem retinae mittit ramos, qui ibi ad magnum angulum diuaricati longe oram illam ſegunt, ſibique occurrentes circulum circulo iridis ſimilem conſtituunt, vnde plurimi ſurculi ad partem poſteriorem retinae, vix vllus anteriorem verſus terminum decurrit (*x*). In homine autem eiusmodi circulum nondum vidi, etſi anterius nonnullos ramulos transuerſim incedentes me videre meminerim, vt vix deſperem, repetita experimenta ſimilem in homine fabricam forte olim oſtendere poſſe. Arteriolae retinae vnice in interiori retinae facie decurrunt, nudae fere, qua humorem vitreum contingunt, & teguntur, qua choroidem reſpiciunt, multa medulla nerui optici, per quam quidem pellucent, minus tamen conſpicuae apparent, inprimis ſi retina palpoſa, aut ſpiritu vini & morte obſcurior reddita fuerit (*y*): ſi vero faciem internam retinae per humorem vitreum adſpicias, tenuiſſimi & vltimi ſurculi libere & optime in oculos incurrunt. Interdum tamen vnum alterumue ramulum ad exteriorem faciem retinae perforata medulla emergentem vidi, qui breui ad interiorem faciem iterum rediit. Ab arteria denique centrali perforata lamina cribroſa, ramus praeterea diſcedit, qui per medium humorem vitreum, cui tenuiſſimos in itinere ſurculos exhibet, ad faciem poſteriorem lentis peruenit, in cuius capſula in plurimos ramulos diuiditur (*z*).

§. V.

De corneae vaſculis ſed ſuſpectis, & reliquis opthalmicae ramis.

Non quidem dubito, fore multos, qui credent, me nimis breuem in hiſtoria arteriarum oculi fuiſſe. Sed alia, quae

(*x*) Circulum illum ex oue delineaui in *Comment. Soc. Scient. Gotting. T.* IV. *obſeruat.* de differentia fabricae &c. ſupra cit.

(*y*) Vid. ſup. *cap. de retina.* §. III.

(*z*) Ill. ALBINVS arteriolam illam deſcribit, & delineauit in modo citat. *Annot. acad. Tab.* I. *f.* 4. 5. *cap.* VII.

quae ipſe non vidi, conſulto omiſi, vti vaſcula corneae aliis dicta, quae nunquam neque ope iniectionis ceraceae, neque in fetu ſponte manifeſta, vti mihi de arteriis lentis contigit, obſeruare potui. In animalibus quidem maioribus, vt boue & veruece vaſcula adſunt ex arteriolis ciliaribus anterioribus orta, quae longe originem corneae accurate legunt, ſed neque ibi ipſa vaſcula corneae ſubſtantiam adeuntia, reperire potui. Sed etiam deſcribendi & ad finem vsque deducendi forte ſupererant alii opthalmicae rami, vti ſupraorbitalis, qui nerui frontalis comes, in frontem exit; ethmoidea anterior, qui per foramen ethmoideum anterius narium interiora adit & nonnullos ſurculos in caueam cranii emiſſos per duram matrem eiusque falcem diſpergit; palpebralis inferior & ſuperior, orti ex opthalmica a trochleae tendine iam egreſſa; naſalis demum & frontalis ramus, & rami illi acceſſorii auxiliares, qui ab arteriis infraorbitali, temporali & exteriori & profunda veniunt, & magnis anaſtomoſibus cum ramis opthalmicae iunguntur. Sed omnem illorum hiſtoriam Ill. HALLERVS pleniſſimam iam tradidit, quae ab omnibus hic conſuli meretur (*).

(*) *Faſc.* VII. *Hiſt. art. oculi, ſaepe cit.*

CA-

CAPVT. XI.

DE

VENIS OCVLI.

§. I.

Hiſtoria venarum oculi.

Venarum oculi hiſtoria parciſſima eſt, & obſcura apud omnes fere Auctores illarum notitia. Vix enim vllus fuſiorem aliquam illarum dedit deſcriptionem, aut accuratius in illas indagauit, quum omnes fere credere videantur, venas vbique eundem cum arteriis habere decurſum, vt quae de arteriis dicantur, de venis quoque valere poſſint. GALENVS (*a*) & alii ex vetuſtioribus tam choroideam, quam retinam arteriis & venulis eſſe refertam ſcripſerunt, circa truncum & decurſum illorum plane ſilent. VESALIVS primus eſſe videtur, qui truncum venae cognouerit, quam ad angulum oculi internum ortam in cranii caueam venire ſcribit. FALLOPIVS (*b*) autem vlterius hic progreſſus eſt, qui probe vidit venam facialem, vbi ad angulum oculi internum venerit, quandam inſignem partem de ſe emittere, quae per muſculos & oculi membranas exteriores ſpargitur, & venae ethmoideae poſterioris nerui comitis mentionem fecit, nec alterum finem incognitum habuit, vbi alibi docuit, ex iunctis duobus petroſis ſinubus ad ſellam Turcicam oriri venulas, quae ad oculi orbitam pertingant (*c*). Qui poſt illum ſunt ſecuti, ad noſtra vsque tempora vix quidquam

(*a*) De vſu part. *l.* 10. *c.* 2.

(*b*) *Obſ. anat. p.* 728.

(*c*) *Loc. cit. p.* 734.

quam addiderunt, perſuaſi, venas vbique comites eſſe arteriarum, vt quae RIDLEYVS (*d*) & ipſe SANTORINI (*e*) de inſertione venae opthalmicae in ſinum cauernoſum locuti induſtriam Fallopii parum vincant; poſterior tamen illarum exitum per fiſſuram ſphenoideam accuratius definivit. WILLISIVS (*f*) tamen iam olim arterias, venoſis propaginibus vbique ſtipari tradidit. STENO (*g*) quidem longe ante illos venulis ad choroidem pertingentibus radiorum inſtar ibi expanſis nomen vaſorum vorticoſorum impoſuit; nihil tamen praeter nomen habet, & aeque minus ac alii nouit, vaſa illa vorticoſa ſolis effici venulis, quod quidem inuentum Ill. HALLERO ſeruatum fuiſſe videtur. Etſi enim omnes reliqui Anatomici nomen illud a STENONE receperint, omnes tamen vnanimi conſenſu in ea fuerunt opinione, vaſa illa vorticoſa propagines eſſe arteriarum, venarum nulla mentione facta. RVYSCHIVS, qui communi quidem errore vaſa vorticoſa arterioſa eſſe credidit, ex balaenae oculo pingit circulum venoſum iridis (*h*), quem pro arterioſo habuit, a quo longe tamen differt, in quem a choroide innumeri ſurculi confluunt, & vnde in iridem propagines abeunt, qualem quidem fabricam in oculo bubulo adeſſe, in homine autem plane aliter rem ſe habere obſeruaui. HOVIVS (*i*) quidem bene vidit, circulum illum a RVYSCHIO pictum eſſe venoſum, quem autem pro illo nobis exhibet, ita certe ſeſe habet, vt magis ex ingenio fictus, quam ad naturam delineatus eſſe videatur. Venulae illae ſubtiliſſimae proceſſuum ciliarium & choroidis nimis ſunt ſuſpectae. WINSLOWVS (*k*) in venarum deſcriptione

(*d*) *Anat. of the brain. p.* 45.

(*e*) *Obſ. anat. c.* III. §. 27.

(*f*) *De brutorum anima. C.* XV. *p.* 125.

(*g*) *Cap. can. carch. diſſ. ed. Flor. p.* 83. *Belg. p.* 106.

(*h*) *Theſ.* II. *Aſſ.* I. *T.* I. *f.* 6.

(*i*) *De circulari humorum motu in oculis. T.* 5. *f.* 1.

(*k*) *Tr. de la tete.* §. 300. & §. 29.

ptione breuiſſimus venas opthalmicas prope inſertionem in receptacula vocat ſinus orbitarios, nec quidquam addidit, quorum ſedem LIEVTAVD (*l*) accuratius definire ſtudet inter par ſextum & neruum opthalmicum. HEISTERVS (*m*) venas choroideae breuiter deſcribit ex oculo bubulo mercurio repletas. Reperit ibi anaſtomoſes & iuga more arteriarum in ligamento ciliari facta, & circulum venoſum arterioſo ſimilem, vnde ramuli maiores eodem loco, quo arteriolae intrantes ſcleroticam perforant & retia vaſorum in orbita conſtituunt, & inde ad vtramque venam iugularem ſanguinem reuehunt. In oculis humanis venas non indagauit.

HEVERMANNVS (*n*) affirmat, ALBINVM venas cera repleuiſſe, plura autem non affert. In ſtrangulatis tamen vidit anaſtomoſes venarum circa bulbum oculi. Cel. HEBENSTREIT (*o*) habet venam orbitariam, per fiſſuram ſphenopalatinam ex orbita exeuntem, diuerſam a ſingularibus venis, quae ad baſin caluariae retrouertuntur, & ſanguinem internum oculi reuehunt, quae quidem deſcriptio cum obſeruationibus meis nullo modo congruit. FERREIN (*p*) venulas iridis cera repletas, ſub circulo arterioſo ad venas maiores choroidis redire vidit. Venae opthalmicae hiſtoriam multum auxit Ill. HALLERVS (*q*), qui iam animaduertit, contra vulgarem opinionem, venam hanc arteriae non eſſe ſatis ſimilem, etſi pariter ciliares ſed medias omnes, & naſales, & meningeam per fiſſuram oſſis ſphenoidis alis interiectam ad duram matrem remittat. Optime monuit, venam illam ſinus nomen ferre non poſſe, illamque paucioribus maioribus truncis mediam ſcleroticam perforare, nec vena

(*l*) *Eſſ. anat. p.* 387.

(*m*) *Diſſ. de choroid.* §. 26.

(*n*) *Phyſiol. T.* II. §. 762.

(*o*) *Progr. de vaſis ſanguiferis oculi.*

(*p*) *Mem. Ac. R. Sc.* 1741. *p.* 381.

(*q*) *Faſc.* III. *icon. art. faciei. not.* 26.

vena centralis retinae induſtriam illius effugit (*r*). Inprimis autem ſummam laudem meretur, qui primus vaſa vorticoſa vnice eſſe venoſa docuit (*s*). Eo magis autem ad indaganda vaſa venoſa oculi excitatum me fuiſſe fateor, quod HEISTERVS, LOBÉ, HEVERMANN, HEBENSTREIT & alii de extricandis illis fere deſperare, & dubitare videantur, an omnino repleri poſſint.

§. II.

Deſcriptio trunci venae eiusque ramorum.

Vena opthalmica, VESALIO (*t*), & FALLOPIO (*u*) iam dicta, oritur, (ita loqui fas eſto) ex receptaculo loco plane recondito infra arteriam carotidem, vbi ex oſſeo canali egreſſa transuerſa antrorſum pergit, & inde, ſub proceſſibus clinoideis anterioribus introrſum adſcendit, tecta ibi origine neruis tertii & ſexti paris. Ab illa inde origine inter neruum ſexti paris & durae matris laminam alteram cranio firmiſſime ibi annexam antrorſum pergit, & ſimul paululum deſcendit, vt infra neruum ſexti paris emergat. Hanc inprimis partem WINSLOWVS (*x*) & eum ſecuti LIEVTAVD (*y*), GARENGEOT (*z*), ſinum orbitarium vocare videntur, nimis tamen paruam, nimis a fabrica reliquorum ſinuum diuerſam, quam vt illud ſinus nomen mereri poſſe videatur. Vix enim totam venam opthalmicam velle videntur, quum ex orbita allatas venas in ſinum illum orbitarium inſeri affirment. SANTORINI (*a*) autem primum ſeu ſuperius emiſſarium hanc venae opthalmicae originem appellat. Poſtquam ergo illa ſub neruo ſexto in conſpectum

(*r*) *Phyſ. prim. lin.* §. DXX.

(*s*) *Faſc.* VII. *icon. art. opthalm. p.* 47.

(*t*) *De corporis hum. fabr. L.* I. *c.* 12.

(*u*) *Obſeru. anat. loc. cit.*

(*x*) *Tr. de la tete.* §. 29.

(*y*) *loc. cit.*

(*z*) *Splanchnol. T.* II. *p.* 232.

(*a*) *Obſeru. anat. Cap.* III. §. 27.

ctum venit, ad latus externum faſciculi neruorum, qui per rotundam partem fiſſurae ſphenoideae in orbitam penetrant, antrorſum & ſurſum pergit, & caput ſuperius & minus muſculi abductoris conſcendens cum ramo opthalmico nerui quinti paris & neruo pathetico, exterior in orbitam pertingit. Haec quidem fabrica eſt frequentior. Interdum tamen vena in duos ramos iam fiſſa fuit, antequam in orbitam peruenit. Sic res ſe habuit in vtroque latere hominis adulti. Altero in latere ramus maior, exterior, ad latus externum & ſuperius oculi abiit, minor autem inter muſculum abductorem & inferiorem loco recondito in orbitam peruenit, & ramo cum ſuperiori iunctus, muſculo inprimis inferiori ramum dedit, & ciliares demum inferiores praebuit. Altero autem in latere ramus eodem modo ante ingreſſum in orbitam a trunco ſecedens, infra tendinem communem trium muſculorum rectorum in orbitam progreſſa muſculis vicinis ramos exhibuit, & naſalem poſteriorem genuit. Truncus autem muſculo exteriori incumbens orbitam ingreſſus primum dat ramulum ad duram matrem fiſſurae ſphenoideae ſuperioris, qui in cranium rediens per duram matrem lacunar orbitae tegentem diſpergitur; & ramos ad muſculum exteriorem & ſuperiorem, & naſalem poſteriorem, quae ſupra muſculum attollentem & leuatorem ad foramen orbitarium poſterius properat. Tunc plerumque a trunco ſecedit ramus magnus inferior, qui in plurimos ramulos diuiditur, quorum alii muſculum interiorem & inferiorem, & obliquum minorem adeunt, alius ad ſcleroticam abit, quem ciliarem inferiorem vocare poſſis, cuius loco interdum duo adſunt ciliares, alius fundum orbitae perforat, vt infraorbitali venae iungatur, alius ad latus externum cum lacrymali, alius ad internum cum interiori ramo anaſtomoſin habet. Praeterea ſemper ex inferiori ramuli aliquot minores neruum opticum adeunt, aucti quibusdam ſurculis a trunco ipſo venientibus, qui partim vaginam nerui adeunt, partim cum arteriolis & neruulis ciliaribus procurrunt, & ſurculis

minimis in ſcleroticae ſubſtantiam emiſſis, cum neruulis vno ſaepe foramine ſcleroticam perforant, quorum alii, ramulis retrorſum euntibus vaſorum vorticoſorum inſeruntur, alii in venulas ciliares longas abeunt.

Poſt inferiorem oritur lacrymalis, qui ramulos dat ad muſculos ſuperiorem & exteriorem, ramum anaſtomoticum cum inferiori, & alium ſimilem, qui ramulo ex trunco oriundo inſeritur; ciliarem, quae autem interdum diſtincta ex ipſo trunco venit; ramum arteriae ſocium, qui perforato oſſe ad muſculum temporalem peruenit, & venae temporali profundiori iungitur; ramulos ad glandulam lacrymalem; ramos palpebrales, qui cum ramis ex trunco ad angulum internum ortis arcus tarſeos faciunt; & alium, qui ad tempora excurrit.

Ramo illo lacrymali edito truncus introrſum transuerſus pergit, & muſculo ſuperiori ſubiectus in conum a muſculis formatum ſe immergit, quo in itinere, dum bulbi partem poſteriorem praeterlegit, fere ſemper praebet ciliarem ſuperiorem maiorem; & ramulos aliquot ad muſculum ſuperiorem & leuatorem palpebrae.

Ad latus demum internum bulbi oritur ramus interior, qui, ramis ad muſculum interiorem & obliquum ſuperiorem datis in fundum orbitae ſe demergit, plerumque ciliarem praebet tertiam; ramum denique vtrumque anaſtomoticum, alterum minorem trunco inſertum, alterum maiorem inferiori iunctum. Ramus ille interior ſemel mihi viſus eſt magnus trunco fere aequalis, qui ad latus internum ad fundum orbitae deſcendit, ramulum emiſit anaſtomoticum cum inferiori, inter muſculos & perioſtium iterum adſcendit aliquot inſulis factis, ethmoideam anteriorem praebuit, & prope trochleam venae trunco iterum iunctus fuit.

Inde ad latus internum oculi truncus antrorſum progreditur, quartam praebet ciliarem; anaſtomoticum cum

lacry-

lacrymali, & alium cum interiori, ramulos ad leuatorem & ſuperiorem, prope trochleam ethmoideam anteriorem, arteriae ſociam. Ad angulum demum internum diuiditur in palpebrales, cum lacrymalibus arcus tarſeos facientes; frontalem profundum, dorſalem naſi, cum ſimili vena alterius lateris in glabella iunctam, & in facialem venam demum continuatur. Ex hac ergo apparet deſcriptione venas opthalmicas non adeo eſſe ſimiles arteriarum, vt plurimi crediderunt Anatomici, qui hac opinione abducti venas omnino neglexerunt. Etſi enim rami maiores cum arteriis quodammodo conueniant, ſaepiſſime tamen diuerſum ab illis tenent decurſum, minores autem ramuli & ciliares nihil fere cum ciliaribus arteriolis commune habent. Inprimis autem obſeruatu dignum videtur, omnes ramos maiores ramis ſatis magnis anaſtomoſi patula ita inter ſe iungi, vt circulum conſtituant, bulbo oculi laxe circumductum, & ſanguis liberrime ex vna in alteram venam tranſire poſſit, quae communicatio nunquam deeſſe mihi viſa fuit (*b*). Nonnullas recenſere viſum eſt varietates, quarum prima ſumta fuit ex infante, vbi in altero latere ſic ſe habuit ramus inferior, vnde ciliaris inferior; ramuli ad muſculum abducentem, inferiorem, obliquum minorem; ramus anaſtomoticus cum ramo interno; ramus lacrymalis; ciliaris altera; ramus inferior magnus, trunco fere aequalis, qui in latere interno ad fundum orbitae deſcendit, infraorbitali inferiori iungitur, inter muſculos & perioſtium iterum adſcendit, ciliarem internam & anteriorem naſalem praebet & trunco infra trochleam iterum iungitur; ciliaris ex trunco; ethmoidea anterior; rami palpebrales & naſales.

In altero latere Ethmoidea poſterior; ciliaris ſuperior; ramus inferior, vnde muſculares & ciliaris ſecunda; lacrymalis;

(*b*) Sic etiam HEISTERVS *de choroid.* §. XXVI. & HEVERMANN *Phyſiol.* 2. *Tom.* venas in orbita multis anaſtomoſibus inter ſe iungi docent.

malis; ramus ad muſculum ſuperiorem; interior vnde ciliaris tertia; ciliaris quarta; ethmoidea anterior; rami palpebrales & naſales.

Alia ſeries. Ramuli ad duram matrem & muſculos externum & ſuperiorem; ramus inferior, vnde duae ciliares; lacrymalis; communi origine cum lacrymali ciliaris tertia; ramus interior; ramuli ad muſculum ſuperiorem; ciliaris quarta; ethmoidea anterior, rami, vt in priori.

Alius ordo. Rami ad muſculos externum & ſuperiorem; ramus inferior, vnde prima ciliaris; lacrymalis, vnde ſecunda ciliaris; ciliaris tertia; ramus interior; ciliaris quarta; ethmoidea anterior.

§. III.

Venulae ciliares in vaſa ſic dicta vorticoſa abeuntes.

Propius nunc accedamus ad venulas ciliares (*c*), quae plerumque 4 aut 5 trunculis bulbum adeunt, vt in quouis latere venula ciliaris adueniat, quorum quidem inferior, interdum duplex oritur ex ramo inferiori, exterior aut ex ramo lacrymali, aut ex trunco, communi fere origine cum lacrymali, interior ex ramo interiori, & ſuperior ex ipſo ſemper trunco. Venula ciliaris exterior, reliquis ſemper maior duplici interdum oritur radice, quarum altera ex lacrymali, altera ex trunco neruum opticum transgreſſa aduenit.

Quatuor hi trunculi ad mediam bulbi partem allati in celluloſa, qua oculus ambitur, ſemper flexione ſerpentina facta ludentes in duos tresue ramos, alterum maiorem, duosue

(*c*) Quatuor quoque numerat, RVYSCH, ſex facit. *Theſ.* II. ab Ill. HALLERVS *Faſc.* VII. *p.* 47. init.

oſue minores, diuiduntur, qui paulum a ſe inuicem ſecedentes, ſibi tamen ſatis vicini ſcleroticam oblique perforant, in poſteriori parte, ſi oculum in duo haemiſphaeria diuidas, & inſtar neruorum ad duas interdum lineas inter laminas ſcleroticae decurrunt, priusquam in interiori eius ſuperficie appareant (*d*). Scleroticam autem nunc ſubituri per celluloſam exteriorem plurimos ſpargunt ramulos, qui partim antrorſum, maxima autem ex parte poſteriora verſus decurrentes, ſcleroticam egregie pingunt, & circa ingreſſum nerui optici venulis cum neruis ciliaribus allatis iunguntur. Etſi ergo quatuor tantum ſint trunculi, vaſcula tamen fere ſemper duodecim circiter reperio, ſcleroticam perforantia, cum RVYSCHIVS & alii ſex tantum numerent; alia maiora quatuor aut quinque, quae vaſa illa vorticoſa pulcherrima conſpicua edunt, alia minora, quae vortices minores, minus pulchras, minusque perfectas efficiunt, vt inde tantum imitamentum maiorum eſſe videantur. Quin nonnulla ex illis vaſculis venoſis ciliaribus, tenuiſſima, & vix conſpicua, ſine vllo vortice directe antrorſum decurrunt, & ramos tantum laterales ad choroidem demittunt (*e*).

Venulae illae ciliares radiatim diuiſae ſunt vaſa vorticoſa STENONIS, vbi ſolum tamen nomen adeſt, vt dubitare adhuc liceat, an ille eadem vaſa, quae nunc dicuntur vorticoſa, voluerit. Eadem vaſa videtur vidiſſe MAITREIEAN (*f*), vbi docet, choroidi eſſe intertextas plurimas fibras, quae vortices faciant, & quas non incongrue cum ſpiralibus plicis epidermidis in apice digitorum conſpicuis com-

(*d*) Bina interdum vaſcula ſaepe ſibi proxima, vt vno foramine vtantur. Ill. HALLER. habet *Faſc.* VII. *p.* 47.

(*e*) Omnia ſemper ſunt ſanguine plena, vti MORGAGNI *epiſt. anat.* XVII. *n.* 2. & Ill. HALLERVS *loc. cit.* iam docuerunt.

(*f*) *Tr. des maladies de l' oeil. p.* 24.

comparauit. Ab illo STENONE nomen illud omnes receperunt Anatomici, etſi, vt ſuperius iam monuimus, vaſa illa vorticoſa ab arteriolis ciliaribus effici crediderint. Primus illa nomine arteriarum pinxit RVYSCHIVS (*g*) tum choroidi inſtrata, tum ſingula, & ſeparata ſatis bene, ſed nimis arbuſcularum ſimilia, qui optime quoque ea deſcribit, vbi docet (*h*), choroidem mediam ſex perambulare vaſcula, quae ramulos innumeros ſurſum verſus neruum opticum & deorſum verſus vueam demittunt. A RVYSCHIO Ill. HEISTERVS (*i*) iconem ſuam deſumſit, & deſcriptionem. Melius fere placet icon BONHOMME (*k*), quae magis ad naturam accedere mihi videtur, ſed nimis pauci ſunt rami, nimisque ruditer expreſſi. Feliciſſime autem duo vaſa vorticoſa delineata reperies ab Ill. HALLERO (*l*), etſi, illis non ita intentus, ac arteriis exprimendis, eandem perfectionem quaeſiuiſſe non videatur. Poſt RVYSCHIVM autem omnes fere, qui eum ſunt ſecuti Anatomici, illorum faciunt mentionem, vbi arterias ſcleroticam perforantes in ramos, a centro verſus peripheriam radiatim decurrentes diuidi affirmant, vt ſtellas aut arbuſculas fere exhibeant. Ill. HALLERVS autem, poſtquam alibi iam monuerat (*m*), venas inſtar arteriarum in choroide arbuſculas arterioſis ſimiles ſed maiores efficere, in libro recentiſſimo (*n*), vaſa illa vorticoſa vnice ad venas pertinere docuit, nihilque ſimile arteriis contingere. Quae res cum adeo facile ſit obuia, & primo ſtatim intuitu, arteriis & venis repletis, in oculum incurrat, concludi inde fere poſſe videtur, vix vllum eorum, qui vaſa vorticoſa arterioſa dixerit, venas vnquam ſolas repleuiſſe. Quicunque autem vaſa illa vorticoſa a vaſculis radiatim expanſis formata fuiſſe dixerunt, minus certe accurate loqui mihi

(*g*) *Epiſt.* XIII. *T.* 16. *f.* 8. 9. 10.
(*h*) *Theſ.* II. *Aſſ.* I. *n.* 1.
(*i*) *Diſſ. cit. icon.*
(*k*) *Cephalot. T.* XIV. *f.* 3.
(*l*) *Faſc.* VII. *T. art. oculi. f.* 5. aa.
(*m*) *Phyſ. prim. lin.* §. DXX.
(*n*) *Hiſt. arter. oculi. p.* 47.

mihi videntur, vt ex deſcriptione mea, icone illuſtrata ſatis patebit. Venula nempe quaelibet ex quatuor illis maioribus, quae inprimis pulchriora illa vaſa vorticoſa faciunt, vbi ad choroidem oblique acceſſerit, intra breuiſſimum ſpatium, numeroſiſſimos emittit ramulos, denſiſſime congeſtos, ſibique proxime vicinos, vt ex vno fere puncto orti videantur, qui omnes fere verſus alterutrum latus decurrunt, & vnus & alter ramus verſus alterum latus tendit. Trunculus ergo eiusmodi ramulos verſus alterutrum latus tantum fundens formam potius repraeſentat fontis ſalientis verſus plagam quandam oblique directi, & radios aquae per laminam cribroſam transmittentis, aut aſpergilli laxioris aut ſecundum MAITREIEAN (o) plicarum ſpiralium epidermidis quae in apice digitorum obſeruantur. Neque enim arbuſculas referunt, vtrinque ramos ramoſos fundentes, variis ſub angulis, & repetita ramificatione, ſed tot fere ſunt trunculi, quot radii vorticis apparent, qui ſub acutiſſimis demum angulis ramulos emittunt pauciores, ſibique parallelos. Qui omnium primi a venula ad choroidem adueniente, oriuntur trunculi, ad angulum cum trunculo retrogradum, vti loqui ſolent, ſine vlla fere in arcum flexione retrorſum plurimi, proxime ſibi vicini, ductu inter ſe parallelo feruntur; alii vero inter hos & anteriores nati primum arcu facto ad trium linearum longitudinem & vltra transuerſi per choroidem incedunt, & inde demum retrorſum flexi recta via denſiſſime congeſti, & inter ſe & cum prioribus paralleli verſus ingreſſum nerui optici feruntur, vt multae originem choroidis attingant, vbi maxima ex parte in choroidem ſenſim deſinunt, nonnullis autem inſeruntur venulae quaedam minimae, quae cum arteriolis ciliaribus poſterioribus ſcleroticam perforant, ortae pleraeque a ramulis rami inferioris, neruum opticum adeuntibus. Plurimi etiam

(o) *Loc. cit.*

etiam ex illis, trunculis transuerſum decurrentibus vaſis vorticoſi in ramulos minores diuiſi frequentibus anaſtomoſibus iunguntur cum ramulis ſimilibus vaſis vorticoſi vicini, quas etiam anaſtomoſes egregie depinxit Ill. HALLERVS (*p*). Vortices enim illos maiores ita fere ſemper diſpoſitos reperi, vt bini & bini latere, quo ramos fundunt, ſe inuicem reſpiciant, & ramos transuerſos ſui ſimilibus occurrentes ſibi tendant. Trunculi autem ex vortice nati anteriores alii, vt de poſterioribus dictum eſt, poſt decurſum per exteriorem choroidis faciem transuerſum iter mutant, & in contraria prioribus directione antrorſum feruntur, ductu cum illis parallelo, qui loco magis anteriori nati ſtatim ſine vllo arcu facto & in eadem fere cum trunco directione copioſiſſimi ad orbiculum ciliarem pergunt. Pauciſſimi denique ex altero latere trunci orti, verſus alteram plagam incedunt, & partim in choroide euaneſcunt, partim anaſtomoſin cum vicino vaſculo vorticoſo minori habent, de quibus dicendi nunc locus eſt.

Superius nempe iam dixi, quatuor quidem aut quinque plerumque adeſſe truncos venoſos, qui conſpicua pulchriora illa vaſa vorticoſa efficiunt, plura tamen adeſſe vaſcula venoſa, ad decem & duodecim vsque, eodem modo mediam ſcleroticam perforantia, quorum alia maiora, vortices efficiunt, qui maiores quidem imitantur, ſed minus ſunt perfecti, minusque pulchri, & ramos ex alterutro latere edunt, quos ſtatim directe aut antrorſum aut retrorſum mittunt, maioribus illis ſemper vicinis; Denique alia ſunt adhuc minora, quae ne vortices quidem faciunt, ſed arbuſculas tantum formant, ramos vtrinque fundentes; alia denique tenuiſſima recta antrorſum abeunt, pauciſſimis & minimis in itinere ramulis ad choroidem emiſſis. Omnes illae venae, quarum propagines maiores, vaſa illa vorticoſa maiora,

(*p*) *Tab. art. oculi. fig. cit.*

iora, pulchriora, ſub nomine arteriolarum reliquis nota; minores autem aut vortices imperfectos & rudes aut arbuſculas faciunt, in eodem fere circulo ſcleroticam mediam perforant.

§. IV.

Venulae ciliares longae & anteriores.

Praeter ea autem nonnulla alia vaſcula venoſa, reliquis plane intacta, perforata ſclerotica, choroidem adeunt, quorum alia arteriolas ciliares longas, in circulum iridis abeuntes, ab Ill. HALLERO optime deſcriptas (*q*), imitantur, alia comites ſe praebent arteriolis ciliaribus anterioribus, prope corneam ſcleroticam perforantibus. Venulae ergo ciliares longae ortae a ſurculis minimis, a trunco & ramo inferiori neruum opticum adeuntibus, neruulorum perpetuae comites, ſcleroticam, in eodem circulo cum ciliaribus longis, penetrant, non abſque ramis in eam immiſſis, & neruulo cuidam maiori arctiſſime annexae, cum illo ſemper per vnum idemque foraminulum transmittuntur, quarum numerus, vti arteriarum, ſemper exiguus eſt, & plerumque eodem modo duas tantum vidi, moles autem, contraria ac in arteriolis ratione, vaſculis vorticoſis multo ſemper minor eſt. Venulae illae ciliares longae, neruulo ſuo ſemper arctiſſime adhaerentes, aut interdum duobus neruulis minoribus interceptae, exterius vorticoſis impoſitae, recta longitudinem choroidis metiuntur, & nonniſi paucos & minimos ramulos, vorticoſis inſertos, in eam membranam emittunt. In ea autem alba molli celluloſitate, quae choroidis & ſcleroticae vinculum eſt, & orbiculus ciliaris vocatur, quaelibet venula longa in duos diuaricatur ramos, qui ad obtuſiſſimum angulum diſcedunt, & longe originem iridis

(*q*) *Hiſt. arter. oculi loc. cit.*

dis legentes, in vaſcula demum minora iridis, cum ſurculis vorticoſorum, & venularum anteriorum abeunt.

Venulae illae ciliares anteriores ſimillimae ſunt arteriolis ſui nominis. Nempe ramuli venoſi muſculos quatuor rectos comitati, ad lineae a cornea diſtantiam, eo loco, quo tendo ſcleroticae infigitur, ſurculos quosdam emittunt, duos tresue ex eodem muſculo ortos vidi, qui tendinem deſerunt, & in ſcleroticam anteriorem excurrunt, vbi cum vicinis coeunt in arcus conuexos, arcubus meſentericis ſimillimos, ex quorum conuexitate oriuntur alii ramuli minores, qui, eodem numero ac arteriolae, inter originem corneae, & inſertionem tendinum ſcleroticam perforant, alii corneae propiores, alii paulo remotiores, & per celluloſam telam & orbiculum ciliarem ad originem iridis perueniunt. In celluloſo illo circulo ſurculos quosdam emittunt laterales, vicinis vorticoſorum propaginibus inſertos, ipſi autem trunculi iridem cum reliquis adeunt.

Ad eandem nempe iridem accedunt numeroſiſſimi ſurculi, qui a vaſis vorticoſis maioribus & minoribus orti antrorſum decurrunt. Surculi illi anteriores, quos vaſa vorticoſa edunt, in minores iterum ramulos ſub acutiſſimis angulis diuiduntur, quorum alii in choroidem profundius ſe demergentes proceſſus ciliares adeunt, quos in infante recens nato ſanguine plenos vidi; alii autem & plurimi quidem per telam celluloſam ad iridem properant.

§. V.

Num circulus venoſus iridis in homine adſit.

In illa celluloſitate iridis chorioidi obducta, molli, lubrica, in qua latet circulus arterioſus, circulum quoque venoſum, arterioſo ſimilem adeſſe, omnes fere recentiores

tiores, qui circuli arterioſi mentionem fecerunt, vnanimi ore adfirmant.

Primus pinxit RVYSCHIVS (*r*) circulum quendam perfectum, vndique clauſum, & vueam ambeuntem, in quem innumera a choroide vaſcula ſeſe immittunt, denſiſſime congeſta, & vnde tenuiſſimi ſurculi copioſiſſimi in iridem diſperguntur. Etſi vero ipſe RVYSCHIVS hunc circulum ab arteriolis confectum eſſe aſſereret, ex ipſo tamen eius ſermone ſatis apparet, illum venulas vorticoſas pro arteriolis habuiſſe, & HOVIVS recte monuit (*s*), circulum illum eſſe venoſum, qui RVYSCHIVM acriter accuſat, quod circulum venoſum pinxerit, eumque tamen non cognouerit. Quam longe autem circuli illius icon a fabrica circuli arterioſi, tum hominis tum animalium omni ex parte abludit, optime tamen exprimit fabricam circuli venoſi, qualem in maioribus animalibus, bobus & ouibus, venulis oculi mercurio repletis, frequentiſſime obſeruaui. Inprimis in oculo bubulo, mercurio in venulas adacto, vidi circulum Ruyſchiano ſimillimum, in quem innumerae venulae a choroide confluunt, & a quo tanquam communi fonte venulae iridis oriuntur (*t*). Num autem in homine eadem fabrica obtineat, paulo poſt videbimus, Multo certe magis a fabrica in oculis brutorum animalium mihi viſa abludit icon HOVII (*u*), qui loco circuli venoſi vas pingit peramplum, toti oculo ad originem iridis circumductum, in quod tanquam ſinum opthalmicum, innumerae venulae tenuiſſimae, tam ex choroide, quam ex iride confluunt, & ex quo tria vaſcula venoſa maiora, ſanguinis reuectioni deſtinata, & ſcleroticam petentia, naſcuntur. Repetitis autem experimentis vidi,

(*r*) *Theſ.* II. *Aſſ.* I. *n.* I. *T.* I. *f.* 6.

(*s*) *Epiſt. apologet. p.* 197.

(*t*) Ex boue circulum illum venoſum egregie deſcripſit. Ill. HEISTER. *de choroid.* §. XXVI.

(*u*) *Tab.* 5. *fig.* 1.

di, in boue venoſos truncos choroidis vaſis vorticoſis ſimiles, vtrinque ramis copioſiſſimis ad choroidem emiſſis, anteriora verſus ad acutos angulos denſa ſerie plurimos edere ramulos, qui verſus vtrumque latus ſecedentes in vnum circulum quidem confluunt, fabrica in eo non abſimili a circulo arterioſo hominis, niſi quod hic duo tantum rami in vtroque latere ad circulum autem venoſum conſtituendum plurimi ramuli faciant (*x*). Recentiores tamen omnes poſt HOVIVM & RVYSCHIVM circulum quendam venoſum recepiſſe, videntur, cum venas & decurſu & directione arteriis ſimiles eſſe opinentur, etſi ex analogia potius quam propria obſeruatione illud aſſerere videantur, quod ipſi fatentur HEVERMANN, LOBÉ, HEBENSTREIT, WINSLOW & alii (*y*), cum omnes fere expoſitionem venarum oculi intactam reliquerint.

Cum ergo circulum venoſum vbique receptum & ab HOVIO & RVYSCHIO delineatum viderem, illumque in oculis bubulis egregie formatum ipſe obſeruaſſem, vix dubitaui illum in homine quoque reperiri, inprimis cum circulus arterioſus brutorum cum humana fabrica ſic ſatis conueniat. Omni ergo diligentia adhibita, omnique patientia, ad illum indagandum acceſſi, ad quam indagationem inprimis elegi oculos infantum, quorum venulas cera ita replere mihi contigit, vt & iridis venulae plurimae cera egregie rubentes conſpicuae redderentur. Quod quidem experimentum in oculis infantum fere ſemper feliciſſime mihi ſucceſſit, vt fere mirum videatur, cur HEBENSTREIT, HEVERMANN, HEISTER, illas in homine vix poſſe repleri, docuerint. Etſi autem primis experimentis me circulum quendam venoſum vidiſſe mihi viderer, repetita tamen experientia meliora & veriora docuit, mihique ſatis ſuper-

(*x*) Conf. quae dixi in *Comment. Soc. Sc. Gott. T.* IV. *de differentia fabricae.*

(*y*) Vid. *loc. cit.* *§.* 1.

ſuperque perſuaſit, nunquam in homine circulum venoſum, perfectum, continuum reperiri, humanamque fabricam a brutorum fabrica hac in re eſſe diuerſiſſimam. In homine enim ſurculi anteriores a vaſis vorticoſis nati, recti, per celluloſitatem orbiculi ciliaris procedunt, nec vnquam inſtar longarum diuaricati, ſed immutati in iridem, ſibi paralleli ſub circulo arterioſo procurrunt, nec vllibi circulum continuum conſtituunt, in quem, vt in animalibus contingit, prius confluant, quam ipſam iridem adeant; in iride autem ſerpentinae cum neruulis & arteriolis procurrunt, ad annulum minorem pupillae circumpoſitum, vt ſingulae venulae ex chorioide per illam celluloſitatem ad iridem deduci poſſint. Interdum tamen maiuſculi ſurculi in celluloſa tela ad valde acutum angulum diuiſi, primum aliquot ramulis ad originem iridis oblique incedunt, & poſt breue iter in iridem recti excurrunt; vti quoque, ſurculi iique maiores a vorticoſis vaſis nati, in celluloſitate hinc & inde ramulos minimos laterales edunt, qui proximis inſeruntur, & hac ratione inter illos anaſtomoſin quandam efficiunt; vti vbique vaſculis ſibi valde vicinis contingit.

Vaſculis demum illis, e chorioide ad iridem pergentibus ſe immiſcent venulae ciliares anteriores, quae perforata ſclerotica per celluloſam telam recti, cum prioribus paralleli ad iridem perueniunt, in illa celluloſitate ramulis quibusdam vtrinque emiſſis, qui vicinis ſurculis transuerſim inoſculantur.

Alia autem adſunt, quae fallere poſſunt, vt circulum te videre credere poſſis, & quae mihi primum impoſuerunt, vt circulum me videre viderer. Illae nempe venulae longae, arteriolis ſimiles, cum neruulis ſuis huc adlatae eodem modo ac arteriolis contingit, in celluloſitate finduntur, & quaelibet venula longa ea in ſede diuaricatur in duos ramos, qui ad obtuſiſſimum angulum diſcedunt, & ad duas fere lineas flexuoſi originem iridis legentes, ſurculos tenuiores plu-

 rimos,

rimos, rectos per iridem excurrentes emittunt, a tergo autem multos ſurculos a choroide excipiunt. Nullibi autem contingit, vt ramuli duo, in quos quaeuis venula ciliaris longa diuaricatur, ſibi occurrentes continuentur, & hac ratione circulum arterioſo ſimilem conſtituere poſſint, ſed breui in iridis ramulos abeunt, & copioſiſſimi ſemper ſurculi paralleli a vaſis vorticoſis venientes in ſpatio vaſis longis interiecto, ſine vlla mora in iridem perueniunt. Neque FERREINIVS (z), etſi circulum arterioſum, vnde arteriolae iridis naſcantur, optime nouit, circuli venoſi vllam facit mentionem, ſed venulas iridis infra circulum arterioſum ad venas ſanguineas choroidis redire tradit, qui ipſe quoque venulas iridis repleuit, etſi earum repletio difficillima ſibi videatur, quam, niſi ſaepius repetito experimento, ex voto ſibi ſucceſſiſſe teſtatur.

§. VI.

Venula centralis & retinae.

Supereſt ex venis oculi venula centralis nerui optici, quae ob peculiarem originem propriam certe meretur conſiderationem.

Plurimi certe, qui retinae vaſa agnouerunt, illam arterioſis & venoſis vaſculis pingi affirmant, & iam olim GALENVS (*a*), retinam habere venas & arterias, totam ipſam pertexentes, diſerte tradidit, nemo autem quod ſciam, de venae centralis decurſu & origine fuit ſollicitus, cum omnes ſibi perſuaderent, venas oculi vbique eſſe arteriarum comites. Diſerte tamen primus illius meminit Ill. HALLERVS (*b*), qui ex venis internis oculi venam

(*z*) *M. A. R. Sc.* 1741. *p.* 381.

(*a*) Vid. *loc. cit.* §. I.

(*b*) *Prim. lin. Phyſiol.* §. DXX.

venam centralem nerui optici ſimilem, arteriae retinam adire ſcribit, quem ſecutus MOELLERVS (*c*) in homine quidem vnam, in animalibus autem maioribus, plures, tres quatuorque adeſſe affirmat.

Venula ergo centralis nerui optici origine ſua fere ſemper differt a reliquis venulis oculi partes alias adeuntibus. Rariſſime enim illa ipſius trunci venae opthalmicae propago deprehenditur, ſed fere ſemper naſcitur diſtincta & ſingularis ex ipſo receptaculo, & ſtatim ab origine a trunco ſecedens ſola prorepit perioſtio inſtrata, quod infra tendinem communem trium muſculorum rectorum, reliquam partem rotundam fiſſurae ſphenoideae ſuperioris inueſtit, plane ibi tecta faſciculo neruorum, per illam rimae ſphenoideae rotundam partem oculum adeuntium, vt niſi omnibus illis neruis remotis conſpici nequeat. Semel tamen inter plurimas obſeruationes mihi viſa eſt oriri in orbita ex ipſo trunco venae, neruum opticum oblique transſcendentis; cuius loco ex receptaculo, via, qua alias venula centralis aduenire ſolet, alia allata eſt venula trunculo diſtincto, quae, minimis in pinguedinem vicinam ſurculis emiſſis, inter muſculos prope originem adhuc inter ſe connexos & perioſteum in ethmoideam poſteriorem abiit. Quoties autem venula centralis a receptaculo diſtincta oritur, orbitam infra tendinem illum communem muſculorum intrat, & tecta communi origine muſculi interioris & exterioris procurrit, quo in itinere ramulos minimos perioſtio & pinguedini largitur, vbi autem muſculus inferior ab exteriori ſecedit, venula illa ſtatim ad neruum opticum poſt exitum ex foramine optico extrorſum flexum adſcendit, & primum quidem ad aliquot linearum ſpatium inter ipſas laminas vaginae

(*c*) *Diſſert. de retina.* §. 22.

ginae nerui procurrit, ramulis in illam vaginam emiſſis, qua demum perforata ad digiti minoris transverſi longitudinem in ſuperficie nerui decurrit, per vaginam illam cera repleta pellucens, vbi multi ſurculi ex illa naſcuntur, externam nerui faciem pingentes; ſenſim autem prope bulbum in ſubſtantiam nerui ſe demergit, & in eius centro, arteriolae comes, procurrit, cui iuncta laminam cribroſam perforat, & in origine retinae in multos diuiditur ramulos, qui ſocii propaginum arterioſarum in interiori facie retinae decurrentes in omnem ambitum, ad anteriorem vsque retinae finem, diſperguntur. Ramuli hi venoſi per retinam diſperſi, pauciores quidem ſed ampliores arteriolis mihi viſi ſunt, quod inprimis in infante, vbi cera erant repleti, egregie apparuit, & ad credendum fere adducor, vaſcula ſanguine plena, in retina humana & aliis & mihi frequentiſſime viſa, forte potius propagines venoſas quam arterioſas fuiſſe.

CA-

Capvt. XII.

DE PALPEBRIS.

§. I.

Fabrica palpebrarum.

Oculo, qui ab omni reliquo latere orbita defenditur, ab anteriori parte praefixae ſunt palpebrae, quae ſunt plicae cutaneae, quas cutis faciei tenerior facta efficit. Cutis nempe vti a margine ſuperiori orbitae oſſeae ante globum deſcendit, ita ab inferiori adſcendit, vt duae lunulae inde formentur, longa inciſura diuiſae, quae & a latere naſali, ad angulum ſic dictum maiorem, & a latere tempora verſus ad angulum minorem inter ſe vniuntur. Vbi cutis palpebrae ſuperioris ab orbitae margine ſuperiori deſcendere incipit, ibi pulpoſior & tumidula emittit denſam ſeriem pilorum imbricatorum, qui a parte naſali tempora verſus inclinati vtrinque arcum formant, ab initio craſſiori, in acutiorem finem terminatum; Arcus illi ſupercilia dicuntur, quae inprimis inſeruiunt, vt vmbram oculo ſuperponant, ſudoriſque flumen a fronte delapſum ab oculo auertant. Ad angulum internum in ea cute ſedent plurimae glandulae ſebaceae, quales in naſo, aliisque partibus cutis, vbi frictio metuenda eſt, inueniuntur. Lunula cutanea palpebrae ſuperioris maior & latior, inferioris autem anguſtior animaduertitur. Cutis illa in aciem procurrens a margine extremo contra ſe ipſam reuoluta, & veſtigia relegens prioris laminae, tenerrima & ſumme extenuata, vt ſubtiliſſima vaſcula per illam pelluceant, ante oculi globum iterum ducitur, vnde continua ad ſcleroticam tranſit, cui anterius coniunctiuae nomine celluloſitate interpoſita, & denique ipſi

corneae inſternitur (*a*). Coniunctiuam & internam palpebrarum membranam verae cutis eſſe continuationem, introrſum ſuſceptae ſenſimque degenerantis, docet vel ipſe culter anatomicus, inprimis adiuuante maceratione, cuius ope continuitatem oſtendere licet. Epidermis eam vbique ſequitur ſuper corneam vsque, vti ſuperius iam docuimus (*b*).

Vtraque autem palpebra in eo margine, quo ſe contingunt, intra duplicaturam cutis interceptum habet cartilagineum arcum, qui tarſus dicitur, tenuem, latiuſculum, in ſuperiori palpebra latiorem, & fere lunatum, vbi ſegmentum circuli chorda terminatum refert, vt arcus ſegmenti marginem orbitae ſuperiorem, chorda autem palpebram inferiorem reſpiciat in inferiori anguſtiorem, cuius duo margines longe paralleli inter ſe procurrunt, vterque tamen tempora verſus gracileſcit, altero fine naſum verſus latiori. Ad limbum extremum vtriusque palpebrae non pertingunt, ſed marginem illum craſſiuſculum, & conuexum facit tumor cutis ibi ſolidioris & fere calloſae, qui margo tumidulus edit multiplici ordine, plerumque triplici aut quadruplici plurimos pilos, qui cilia dicuntur, extrorſum repandos, & ita flexos, vt ſuperne primum deſcendant, deinde in arcum, cuius conuexitas hiatum oculorum reſpicit, flexi, adſcendendo finiantur, inferiores primo adſcendant, deinde arcu facto, cuius conuexitas priori obuerſa, extrorſum flectantur (*c*). Palpebrae ſuperioris cilia longiora, & denſiora ſunt, inferioris autem breuiora, & rariora, in vtriusque autem palpebrae medio itidem longiora & verſus vtrumque angulum breuiora & rariora obſeruantur, vt prope vtrumque angulum plane deficiant. Palpebris ergo clauſis vtrius-
que

(*a*) Vid. Ill. HALLERI *Prim. lin. Phyſiol.* §. 496.

(*b*) Vid. *ſuper. cap.* I. *de ſclerotica* §. 13.

(*c*) Conf. *Comment. Boerh. Tom.* IV. §. DVIII.

que palpebrae cilia ſe decuſſant, & vmbram & obſcuritatem oculo addunt. Nunquam autem illa ex ipſo cartilagine proueniunt, ſed vnice cuti inhaerent, & cum illa ſemper a cartilagine abſcedunt, orta ex latere exteriori huius limbi. Margo enim tumidulus cutaneus palpebrarum ita factus eſt, vt conuexitas arcus corneae conuexitatem reſpiciat, vnde non poteſt non palpebris clauſis inter vtrumque limbum conuexum palpebrarum & conuexum globum oculi relinqui ſpatium triangulare curuilineum, vacuum, in quo lacrymae coaceruari, & contractione palpebrarum verſus angulum internum determinari poſſunt (*d*).

Duplicaturam illam, quam plica cutanea palpebrarum efficit, praeter cartilaginem tarſum, & muſculos ſtatim dicendos, replet celluloſitas, in quam ligamenta tarſea reſolvuntur. Ligamenta illa lata tarſea, WINSLOWVS (*e*) deſcribit orta ex perioſtio orbitae, vbi ad oram externam in pericranium abit, vtriusque palpebrae cartilaginibus tarſi inſerta; omnes autem reliqui Anatomici ita de illis ſilent, vt commune illud ſilentium ligamenta illa dubia reddere poſſe videatur. Excitatus ergo WINSLOWI deſcriptione in hanc rem inquirere mihi viſum fuit, & obſeruationes ſaepiſſime repetitae me docuerunt, durae matris propaginem, quae orbitae parietes perioſtii loco conueſtit, vbi ad oram orbitae exteriorem venerit, reuera in duas diduci laminas, quarum altera oſſi manet annexa, & in ipſum perioſtium faciei abit, altera vero ab ipſo orbitae margine exteriori vndique in palpebram ſe demergit, & in duplicatura illa cutis tarſum verſus ducitur. Lamina illa ab initio ſatis craſſa, & fibris, vti fere proceſſus falciformis durae matris, inſtructa, vbi quibusdam foraminibus pertunditur, quibus vaſa & nerui ex orbita in faciem exeunt, progreditur pone orbicularem, hac pro-

(*d*) *Comm. Boerh. loc. cit. §. 513. not. a.* PETIT. *Mem. Ac. Par.* 1734.

(*e*) *Tr. de la tete. §.* 271.

productione tanquam ſepto a leuatore in ſuperiori palpebra ſeparatum; nunquam autem integra ad tarſos pertingit, ſed, priusquam ad illos perueniat, ſenſim tenuior & laxior facta in ipſa palpebra reſoluitur in celluloſam illam laxam, inflabilem, quae vtramque plicam illam cutaneam ſeparat, & in morbis interdum enormi aquae copia turget. In ſuperiori palpebra & ad angulum internum multum fortior eſt, quam in inferiori & tempora verſus. Etſi ergo quidem ligamenti tarſei, quos cartilagines nunquam attingit, nomen vix mereri videatur; velum tamen praebet orbitae praefixum, quod cauum orbitae perficiat, & oculum eo melius defendat; & ſepti inſtar vaſa palpebrarum interiora ab exterioribus ita ſecludit, vt arcus tarſei pone illud ſeptum, ſuperficialia autem vaſa orta ab opthalmica orbitam nunc egreſſa, temporali externa & ab infraorbitali, ante illud ponantur (*f*).

§. II.

Muſculus leuator palpebrarum.

Palpebrae illae duos habent muſculos, quibus pro lubitu a ſe inuicem deduci, & aperiri, & oculo iterum obduci poſſint. Priorem motum in palpebra ſuperiori perficit eamque eleuat proprius muſculus, leuator palpebrae dictus, qui oritur ex ſola dura matre ad oram ſuperiorem foraminis optici, ita vt ne vnica quidem fibra vaginam nerui optici attingat; Interpoſito enim vtroque muſculo, attollente oculi & adducente, vbi principiis inter ſe cohaerent, vndique ab illa vagina ſecluditur, quibus muſculis incumbens, illorumque fibris in origine nexa, tenui & tendineo principio incipit. Inde parti interiori muſculis attollentis impoſitus gracilis muſculus antrorſum progreditur, ſenſim lateſcens & extenuatus, cuius fibrae naſo propiores, magis rectae procurrunt,

(*f*) Vide ſis, quae de his ligamentis iam dixi *Comment. Soc. Scient. Gotting. Tom.* III. §. XV.

currunt, exteriores autem arcu ad tempora concauo extrorſum flectuntur, vt exteriorem finem tarſi attingant. Super bulbum oculi incedens ſenſim in aponeuroſin tenuiſſimam abit, quae circa globum oculi ſe demittens ad marginem ſuperiorem tarſi pertinere,illique longe inſeri dicitur. Membranea autem illa expanſio leuatoris palpebrae mihi quidem ante cartilaginem ad limbum vsque palpebrae duriori cute factum procurrere viſa fuit, fibris intimis muſculi orbicularis arctiſſime adnexa, vti a poſteriori facie cartilagini tarſi brevi celluloſitate adhaeret. Ab vtroque latere inprimis ab interiori expanſio illa aponeurotica lacertulo tendineo fortiori limitatur, cui & ipſi carneae parti adhaeret arctiſſimo nexu celluloſa, quae cum ligamento tarſeo coniungitur. Bene illum muſculum Arabibus iam notum (*g*) iam delineat EVSTACHIVS (*h*), optimam autem eius iconem exhibet Ill. ALBINVS (*i*), deſcriptione accuratiſſima illuſtratam.

§. III.

Muſculus orbicularis palpebrarum.

Palpebras autem ad ſe adducit, oculumque obuoluit muſculus latus, late & orbitae & palpebris inſtratus, a cantho maiori ortus, & circa oram caui oſſei longe circumductus. Diuidi optime poteſt in duas partes, continuas tamen, neque ſeparabiles, quarum altera cauum orbitae circumiens oſſibus faciei inſtrata eſt, altera propius ad palpebras pertinet. Partis exterioris fibrae plurimae proueniunt ad canthum internum a ligamento lato, plano, robuſto, quod ortum a proceſſu frontali oſſis maxillaris ex transuerſo ad commiſſuram palpebrarum ducitur; aliae in parte ſuperiori

(*g*) Vide hiſtoriam huius muſculi apud MORGAGNIVM *epiſt.* XVI. §. 19.

(*h*) *Tab.* XXXIX. *f.* 2.

(*i*) *Tab. muſc.* XI. *f.* 17. *Hiſt. Muſc.* L. II. *c.* XXII.

periori oſſi frontis, in inferiori autem oſſi iugali & maxillari inſeruntur. Omnes illae fibrae in lacertos congeſtae, & in oualem fere formam, cuius maior ambitus tempora, anguſtior autem naſum reſpicit, diſpoſitae circa ambitum orae orbitae ducuntur. Lacerti huius partis exteriores ad tempora & inprimis in gena longius ab orbita diſtant, vt vltra oſſis iugalis marginem interdum deſcendant, in pinguedine ibi natantes & interuallo quodam diſtincti; in parte ſuperiori autem margini orbitae propiores inter ſe minus diſtant, & frontali incumbentes cum fibris ſuperciliaris iunguntur. Ad canthum internum plurimae fibrae lacertorum extimorum ligamentum ſuperſcandunt, ea non parti vlli affixae, & fibris muſculi frontalis & leuatoris narium occurrunt & nectuntur.

Partis interioris palpebris obductae lacerti minores & compactiores ſunt, in arcum minorem flexi, quorum intimiores, & ciliis propiores recti fere decurrunt, qui ad canthum minorem ligamento inſeruntur, ad exteriorem autem in angulos acutos conueniunt & ſeſe decuſſant. Ipſum limbum vtriusque palpebrae inueſtit faſciculus robuſtior, ex fibris rectioribus compoſitus, cartilagini tarſo arctiſſime annexus, qui multis proprio nomine muſculus ciliaris dicitur. Hanc diuiſionem iam habuit olim RIOLANVS (*k*) conſeruatam ab ALBINO (*l*) aliisque, WINSLOWVS (*m*) autem in quatuor muſculos diuidit. Icones optimae ſunt SANTORINI, WALTHERI, ALBINI.

§. IV.

Glandulae ſebaceae palpebrarum, Meibomianae dictae.

Ad palpebras adhuc pertinent glandulae ſic dictae Meibomianae, quae in ſulcis faciei poſteriori cartilaginum tarſi inſcul-

(*k*) *Anthropol. L.* V. *c.* IX.
(*l*) *Hiſt Muſc. L.* II. *c.* XXI.
(*m*) *Tr. de la tete. §.* 290.

inſculptis diſpoſitae ſunt. Glanduloſi ſunt plexus, ſecundum longitudinem tarſo transuerſo innati, etſi non omnem tarſum, quam late eſt, occupant, cuius pars ſuperior illis plerumque libera eſt. Compoſiti ſunt ex plurimis folliculis ſebaceis, rotundis, exiguis, ſerie duplici vel triplici ſecundum longitudinem canali intermedio adnatis, in quem ſebum ſecretum edere videntur. Fatendum tamen eſt, mihi nunquam ductum communem, in quem omnes folliculi conuenirent, viſum fuiſſe, qui forte folliculis tectus inter illos & tarſum incedit, niſi ille plane deſit, & folliculi tantum apertis oſculis inter ſe communicent, vt vltimus demum per orificium in limbo palpebrae ſebum edat. In margine enim extremo palpebrarum ea facie, quae globum oculi reſpicit pone cilia tot animaduertuntur orificia parua, vix conſpicua, in eadem linea diſpoſita, vna ſerie, interdum duplicata, quot plexuli glanduloſi adſunt, per quae orificia breuiſſimo ductu ſebum ſuum excernunt. In ſuperiori palpebra in medio tarſo ſunt longiſſimi, ſed graciliores, & verſus finem ſuperiorem anguſtiores, alii recta adſcendunt, alii ſerpentinis flexionibus incedunt; verſus extremitatem autem vtramque tarſi ſenſim breuiores, & rectiores ſunt, ſed latiores, & ſuperiori fine verſus medium tarſum inclinati. Interdum longioribus breuiores ſunt intermiſti, aut, qui in itinere duo fuerant, prope orificium in vnum confluunt, aut in itinere inter ſe vniuntur aut ſimplex prope orificia in duos diuiditur. Interdum vnus alterue plexulus vicinum medio tarſo propiorem ſuperſcandit, introrſum flexus, fine incuruo. Alii in itinere in iſthmum contracti, verſus finem iterum lateſcere videntur. In palpebra inferiori breuiores ſunt pro mole tarſi, ſed latiores & rectiores, & magis parallelo itinere inter ſe incedunt. Laterales verſus mediam partem tarſi, vt in ſuperiori palpebra fine vlteriori ſe inflectunt, breviores, qui vtrique cantho ſunt propiores. Inter punctum lacrymale & ſeriem glandularum ſpacium aliquod tarſi liberum ſupereſt, quod non attingunt. Interdum inprimis in

inferiori palpebra nonnulli folliculi inſulas conſtituunt, a reliquis plexulis ſeiunctas, illisque interpoſitas, & tenuiſſimo tantum iſthmo cum illis cohaerentes. Succum edunt, vt reliquae glandulae ſebaceae, in viuo aut recens mortuo ſebaceum, mollem & limpidiorem, in vetuſto concretum & in vermiculos formatum, ſi orificio exprimitur. RVYSCHIVS eiusmodi vermiculos expreſſos pro materia ceracea ex arteriis transſudante habuit, & folliculos glanduloſos negavit (*n*), quem autem omnes reliqui Anatomici deſerunt, CASSERIVS (*o*) quidem glandulas has iam delineauit, etſi in textu nihil de illis habeat. MEIBOMIVS autem primus peculiari epiſtola bonam illarum dedit deſcriptionem, icone ornatam (*p*), quarum memoriam, a reliquis fere neglectam, iterum reſtituit MORGAGNIVS, icone addita (*q*) qui primus illas in glandularum ſebacearum ordinem adſeruit, qui & omnes, qui illum ſunt ſecuti, praeter RVYSCHIVM, facile ſibi conſentientes habet. Poſt MORGAGNIVM VATERVS (*r*) aliam exhibet figuram, vbi autem nimis varie, nimis confuſe diſpoſitae apparent, hiſtoriam autem illarum inprimis WINSLOWVS (*ſ*), GVNZIVS (*t*) & Ill. HALLERVS (*u*) optimis animaduerſionibus illuſtrarunt.

(*n*) *Theſ.* X. *n.* 124. *Epiſt. reſponſ. anat. ad* BOERHAAVE.

(*o*) *De org. viſ. T.* I. *f.* 3. 4.

(*p*) *Epiſt. ad Langellotum de vaſis palpebrarum nouis.* 1666.

(*q*) *Aduerſ. Anat.* I. *p.* 12. *T.* IV. *fig.* I.

(*r*) *Miſcell. Berol. Cont.* III. *T.* I.

(*ſ*) *Tr. de la tete.* §. 279.

(*t*) *De humoribus purg. lib. Hippocr. p.* 188.

(*u*) *Comment. Boerh. Tom.* IV. §. DXI. *not.* a. *Prim. lin. Phyſiol.* §. 494.

CA-

Capvt. XIII.

DE

VIIS LACRYMARVM.

§. I.

Glandula & caruncula lacrymalis.

Super anteriorem partem bulbi ſemper effunditur liquor aqueus, limpidus, euaporabilis, lacryma dictus, qui inde per ductus lacrymales ad ſaccum lacrymalem abit, & porro ad narium interiora defertur. Eum maxima certe ex parte exhalare videntur arteriae coniunctiuae tunicae & membranae internae palpebrarum, quae argumento iniectionis aquoſae naturam imitantis aqueum ſemper humorem ſtillant; partim etiam in homine, vt in multis animalibus certa fide contingit, creditur deponere glandula conglomerata, molliuſcula, quae in receſſu cauo oſſis frontis tempora verſus ſedet. Glandula illa verſus exteriorem angulum craſſior, verſus interiorem extenuata componitur ex plurimis lobis celluloſitate inter ſe coniunctis, interpoſita multa pinguedine, quibus tamen nullum peculiare inuolucrum fortius obducitur. Ex illa glandula in boue aliisque animalibus conſpicui ductus deſcendunt, qui in facie interiori palpebrae ſuperioris orificiis patulis, ſetam minorem recipientibus ſe aperiunt (*x*). In homine autem hucusque accuratiſſi-

(*x*) Conf. bidloi *T*. XI. *f*. 3. in *Comm. Boerh. T.* IV. §. DXII. 5. Hiſtoriam horum ductuum vide *not.* e.

tiſſimorum anatomicorum aciem omnino ductus illi effugerunt; neque mihi hac in re illis feliciorem eſſe contigit, etſi omni diligentia variaque adminiſtratione in illos inquiſiverim.

Lacrymae illae in ſpatio triangulari curuilineo inter tumidum limbum palpebrarum & globum oculi relicto collectae verſus canthum maiorem perpetua motitatione palpebrarum propelluntur. Ibi palpebris ſe interponit agmen glanduloſum, oblongum, quod caruncula lacrymalis dicitur, ex plurimis folliculis ſebaceis compoſitum, qui, vt aliis eiusmodi folliculis contingit, ſaepe pilos edunt, & compreſſae vermiculum ſebaceum per porum minimum emittunt. Ante eam tertia fere palpebra oculo obuertitur, a ſuperiori ad inferiorem ducta, ſemilunaris, cuius concauitas tempora reſpicit, facta ex duplicatura coniunctiuae, in homine minima, vt leue fere imitamentum palpebrae tertiae, animalium quam pro lubitu ope peculiaris muſculi oculo obducunt, eſſe videatur.

§. II.

Canaliculi lacrymales.

Ante carunculam lacrymalem ad finem interiorem tarſi in vtriusque palpebrae margine eminet papilla rotunda, in cuius apice animaduertitur ſemper foramen vnum maiuſculum, in ſtatu ſano ſemper apertum, quod ſatis facile recipere poteſt, & punctum lacrymale dicitur. Vti inter vltimum oſculum glandularum Meibomianarum & hoc foramen ſpatium quoddam relinquitur, liberum, quo glandulae illae non pertingunt, ita quoque punctum lacrymale non eadem ſerie cum orificiis glandularum poſitum eſt, ſed ad anteriora magis accedit, vt, quum orificia glandularum globo oculi

li obuerſa ſint, puncta lacrymalia ſibi ex aduerſo oppoſita ſe inuicem reſpiciant.

Puncta haec lacrymalia ducunt in duos canaliculos, nomine canalium lacrymalium, qui ad ſe inuicem accedentes communi receptaculo, quod ſaccus lacrymalis dicitur, inſeruntur. Canaliculus palpebrae ſuperioris in itinere verſus ſaccum naſalem non parum deſcendit, vt ad angulum acutum iungatur, cum canaliculo inferiori, qui magis transverſalis decurrit, &, dum cera turgebat, paulum fere adſcendere mihi viſus fuit. Eum quidem decurſum plurimi recentiorum optime proponunt (y). A prima autem origine non ſtatim ea, quam modo diximus, directione feruntur. Canalis enim ſuperior, ab orificio ad lineae longitudinem recta adſcendit, & tunc angulo facto deſcendere incipit; vti inferior prius recta deſcendit, & tunc ad angulum rectum in directionem transuerſalem flectitur, quem quidem decurſum in omnibus experimentis, vbi canaliculos lacrymales per orificium inferius ductus naſalis cera repletos examinaui, conſtantem immutata naturae lege obſeruavi. Miror autem fere, cur ab omnibus aliis angulus ille directionis praeteruiſus fuerit, qui in adminiſtrandis chirurgicis operationibus non adeo parui momenti, & attentione dignus certe eſſe videtur, dum ſtilum aut tubulum ſiphonis Anelliani ad reſerandum iter obſtructum illorum canalium immittimus.

Canaliculi illi ad ſe inuicem accedentes ante inſertionem in ſaccum lacrymalem in vnum ductum iungi certe videntur, qui ductus communis transuerſo itinere vltra lineae ſpatium procurrens faciei anteriori non penitus ſummo ſacci naſalis immittitur. Simplex certe orificium ibi ſemper obſer-

(y) E. g. MONROO *Edimb. Soc.* HALLERI *Prim. lin. Phyſiol.* §. III. *p.* 281. WINSLOW. §. 345. DI.

obſeruaui; non poſſum tamen, quin fatear, interdum me videre mihi viſum fuiſſe ductum communem, ex duobus canaliculis compoſitum diſtinctum fuiſſe ſepto tenuiſſimo, vt duo canaliculi ſibi quidem appoſiti & vnum ductum mentientes procurrerent, vno tamen oſculo, cum ſeptum ante inſertionem deficeret, in ſaccum naſalem ſe aperirent.

Decurrunt illi canaliculi in facie poſteriori palpebrae ſola membrana interna tecti, omni autem reliqua ex parte muſculus orbicularis illos obuoluit, & arctiſſime illis adnaſcitur, vt difficillime, &, vix niſi ſumma attentione adhibita, ſine illorum laeſione auferri poſſit; inde pone ligamentum canthi maioris ductus communis ad ſaccum naſalem progreditur, & in faciem anteriorem ſacci ita inſeritur, vt ſatis magna pars interior, oculo propior, infra illam inſertionem promineat; vti ſupra inſertionem ſaccus finem coecum habet. Conſtant autem illi canaliculi ex membrana tenuiſſima, intus alba & laeui; in qua etſi hic illi poruli minimi, adeſſe videantur, multum tamen differt a tunica interna, rubra, pulpoſa ſacci naſalis.

§. III.

Saccus lacrymalis.

Saccus lacrymalis nempe dicitur receptaculum oblongum ouali fere figura, ſitum in ſulco oſſeo proprio, ex foſſa oſſis vnguis & proceſſu frontali oſſis maxillaris facto, vtrique oſſi firmiſſime annexus. Latet intra & retro muſculum orbicularem eiusque ligamentum, cuius muſculi multae fibrae illi adnaſci videntur. Ab anteriori nempe facie obducitur fortiori ligamentoſa membrana, cui muſculus inſternitur, qua remota vera demum figura ſacci naſalis

ſalis in conſpectum venit. Ipſe enim ſaccus proprie conficitur ex membrana exteriori tenui, neruea, alba, & alia diſtincta interiori, rubra, vaſculoſa pulpoſa, vera nempe continuatione membranae pituitariae, vti ipſum quoque ſaccum muco naſali repletum interdum vidi. Optime figura & ſitus huius ſacci apparet, ſi cera per orificium inferius repletus fuerit, qua adminiſtratione vſus ſemel optime miram aliisque nondum dictam fabricam hic mihi videre contigit. Ex hocce enim ſacco, &, vti videbatur, ex ipſo ductu communi canaliculorum, multa prodibant vaſcula, quorum nonnulla non adeo parua fuerunt, cera itidem plena, quae per membranas vicinas ludentia verſus vtramque palpebram decurrebant, in itinere in nonnullos minores ramulos diuiſa. Finem tamen certum illorum detegere non potui. Vaſcula ſanguifera venoſa quis dixerit, cum in toto capite ſolus ductus lacrymalis cera repletus fuiſſet. Annon eſſe videntur ſinus minores, in palpebrarum faciem internam patentes, quibus, praeter puncta lacrymalia, pars lacrymarum reſorpta in ſaccum transcolari, & deferri poteſt. Noſtra cum obſeruatione optime conuenit animaduerſio GVNZII (z) qui in oculo, vbi foraminum nullum veſtigium inueniri potuit, attentiori examine circa carunculam & vbi membrana ſedet, quae creſcenti lunae comparatur, multa minutiſſima foraminula detexit; & alios quoque vidit, quos in alterutra palpebra, puncto lacrymali occluſo, nullus tamen lacrymae curſus infeſtauit, vt ipſe inde iam concluderet, eſſe interdum exiguas aliquas fiſtulas, circa carunculam apertas, quae exceptam lacrymam in ſaccum naſalem deducerent. Occaſione data ſaepius hanc in fabricam inquiram.

§. IV.

(z) *Libr. cit. p.* 188.

§. IV.

Ductus naſalis in narium interiora apertus.

Ipſe ſaccus ex ſitu foſſae oſſis vnguis oblique poſitus leuiter antrorſum & extrorſum progreditur, ſenſim anguſtatus. Vbi autem perfectum canalem oſſeum ingreditur, directionem mutat, & in ipſo oſſe, angulo facto, retrorſum fertur, vbi ligamento fere interdum conſtrictus eſſe videtur, ſic parte quadam antri Highmori tectus, deorſum & retrorſum delatus deſinit tandem ſub oſſe ſpongioſo inferiori, loco anteriori, vbi illud ab oſſe pronaſcitur, & in nares ibi patet orificio ita oblique reſecto, vti fere vreteres in veſicam ſe immittunt, quod orificium praeterea aliqua ex parte clauditur plica membranea ſemilunari, libera, vt aliquam valuulae ſpeciem exhibere videatur.

EXPLI-

EXPLICATIO FIGVRARVM.

Tab. I. Fig. I.

Origo tunicarum oculi; facies interna choroidis.

a. Neruus opticus diſciſſus.
b. Vaginae nerui optici lamina exterior
c. - - - lamina interior.
d. Pia mater nerui optici.
e. Arteria centralis.
f. Pars laminae cribroſae, per quam ſubſtantia medullaris nerui optici tranſit. p. 106.
g. Sclerotica poſterius craſſior, vbi cum vagina nerui optici connectitur.
h. Circulus laminam cribroſam ambiens, vnde pia mater nerui optici reflectitur, & in
i. Laminam interiorem ſcleroticae abit. p. 11.
k. Arteriae parallelae, quae in choroidis facie interna apparent.
l. Reticulum vaſculoſum obſcure adumbratum, quo arteriae choroidis obducuntur.
m. Plicae proceſſuum ciliarium albae.
n. Iris.
o. Connexio ſcleroticae cum cornea.

Fig. II.

Reticulum choroidi inſtratum microſcopio plurimum augente viſum. p. 47.

a. Arteriolae choroidis faciei internae.
b. Reticulum vaſculoſum.
c. Magnitudo naturalis huius portionis choroidis, cuius icon hic ſiſtitur.

Tab. II. Fig. I.

Tres tunicae oculi altero ex latere ablatae, vt humores in ſitu naturali in conſpectum veniant.

a. Neruus opticus.
b. Tres tunicae oculi reflexae.

c. Humor vitreus.
d. Lens cryſtallina.
e. Retina humori vitreo ſubiecta.
f. Retinae terminus anterior. p. 115.
g. Corporis ciliaris pars poſterior ſtriata.
h. Plicae proceſſuum ciliarium, radios albos referentes.
i. Locus, vbi ab vtroque latere lentis radii albi a lente diſtantes apparent. p. 62. not. b.
k. Pupilla per lentem pellucidam conſpicua.

Fig. II.

Annulus proceſſuum ciliarium lente viſus, parum augente. Cap. II. Sect. II. §. IV.

a. Pars ſcleroticae.
b. Pars choroidis.
c. Ora ſerrata, quae annulum a reliqua choroide diſtinguit.
d. Pars poſterior annuli ſtriata.
e. Pars anterior ex plicis proceſſuum ciliarium compoſita.
f. Plicarum pars anterior, latior, eminens.
g.g. Plicae nonnullae extremo bifido terminatae.
h. Plicarum pars poſterior, quam plures radiculae conſtituunt.
i. Iridis facies poſterior, vuea dicta, ſtriata.
k. Pupilla.

Fig. III.

Plicae tres proceſſuum ciliarium, quorum fabrica vaſculoſa microſcopio plurimum augente ſiſtitur.

a. Arteriolae innumerae parallelae, in facie interna choroidis conſpicuae.
b. Vaſculum maiuſculum in margine eminente decurrens.
c. Arcus, per quos vaſcula in apice plicae inter ſe iunguntur.
d. Reticulum vaſculoſum.
e. Iridis facies poſterior.
f. Magnitudo naturalis huius portionis, quae lente aucta delineata fuit. vid. cap. II. ſect. II. §. VI.

Tab.

Tab. III.

Arteriae & venae oculi.

Fig. I.

Arteriae oculi. Cap. X. §. I.

A. Palpebra ſuperior.
B. Muſculus obliquus ſuperior cum trochlea.
C. Muſculus abducens.
D. Muſculus deprimens.
E. Muſculus adducens.
F. Pars anterior muſculi attollentis abſciſſa.
G. Glandula lacrymalis.
H. Bulbus oculi.
I. Ambitus corneae.
K. Neruus opticus.
L. Nerui quinti paris primus ramus abſciſſus.
a. Arteria opthalmica.
b. Ramuli ad duram matrem nerui optici in foramine optico.
c. Arteriola acceſſoria cum primo ramo quinti paris orta a meningea, & lacrymali ramo inſerta.
d. Ramus lacrymalis.
e. Ramuli ad muſculum abducentem.
f. Arteriola ciliaris tenuiſſima, orta a lacrymali, & in ſcleroticam definens,
g. Ramus muſcularis inferior.
h. Ramus illius maiuſculus, vnde oritur arteria centralis neruo optico tecta, &
i. Ciliaris inferior interior.
k. Ramus ad muſculum adducentem & obliquum inferiorem.
l. Ramus ad muſculum deprimentem.
m. Arteria ciliaris exterior.
n. Huius ramus tenuior, qui inprimis per ſuperficiem ſcleroticae diſpergitur.
o. Surculi ciliares ſcleroticam perforantes.
p. Surculus ad ſcleroticam.
q. Circulus arterioſus circa tranſitum nerui optici per craſſitiem ſcleroticae.
r. Ramus ad muſculum attollentem abſciſſus,
ſ. Ramuli ad duram matrem nerui optici.
t. Ramus ſupraorbitalis nerui frontalis comes.
u. Arteria ethmoidea poſterior.

x. Ramus ad muſculum adducentem.
y. Ramus ad muſculum obliquum ſuperiorem.
z. Arteria ethmoidea anterior.
1. Truncus infra trochleam ex orbita emergens, & in ramos palpebrales, alioſque anteriores diuiſus.
2.2.2. Ramuli cum muſculis rectis oculi allati, qui prope corneam abeunt, in
3.3.3. Arteriolas ciliares anteriores, ſcleroticam perforantes.

Fig. II.

Arteriae ciliares longae & breues; circulus iridis. Cap. X. §. II. III.

a. Sclerotica reflexa.
b. b. Duae arteriolae ciliares longae.
c. c. Rami duo maiores, in quos quaeuis arteriola longa diuaricatur.
d.d.d. Ramuli ex vtroque ramo bifurcationis enati & ad circulum interiorem abeuntes.
e. e. Circulus interior,
f. isque duplex nonnullis in locis.
g.g.g. Arteriolae ciliares anteriores, in circulum interiorem inſertae.
h.h.h. Arteriae ciliares breues.
i. i. i. Mutua inter illas anaſtomoſis pone orbiculum ciliarem.
k. k. Surculi in circulum iridis abeuntes.
l. l. Arteriolae iridis.
m. m. Arcus, quibus circa annulum minorem iridis inter ſe iunguntur.
n. Surculi ex illis arcubus verſus pupillam tendentes.

Fig. III.

Portio annuli minoris iridis, ope microſcopii viſa & delineata. p. 93. 221.

a. a. Arcus, quos arteriolae iridis conſtituunt circa annulum minorem, in praecedente figura litt. m. m. deſignati.
b. b. Ramuli ex illis arcubus verſus pupillam tendentes.
c. c. Ramuli in annulo minori iridis transuerſim decurrentes, & ductu cum ora pupillae parallelo, quos nonnulli pro fibris orbicularibus iridis habuiſſe videntur. p. 93.

Fig. IV.

Venae oculi. Cap. XI. §. II.

A. Portio palpebrae ſuperioris obiter delineata.
B. Glandula lacrymalis.
C. Muſculus abducens.
D. Pars poſterior muſculi attollentis diſciſſi.
E. Pars anterior.
F. Pars poſterior leuatoris palpebrae diſciſſi.
G. Pars anterior.
H. Muſculus obliquus ſuperior cum trochlea.
I. Neruus opticus foramen opticum ingreſſus.
K. Neruus quarti paris.
L. Neruui quinti paris primus ramus.
a. Truncus venae opthalmicae ex receptaculo proueniens.
b. Venula ethmoidea poſterior.
c. Ramulus ad neruum opticum.
d. Venula ciliaris ſuperior.
e. Surculi tres ſcleroticam perforantes.
f. Ramuli per ſcleroticam ludentes.
g. Ramus inferior muſcularis.
h. Ramus lacrymalis.
i. Ramus inter lacrymalem & inferiorem anaſtomaticus,
k. Truncus ſuper bulbum incedens.
l. Ramulus ad muſculum attollentem.
m. Ramus interior.
n. Ramus ex trunco, inſertus.
o. Ramo anaſtomotico inter truncum & lacrymalem.
p. Ciliaris interior.
q. Ethmoidea anterior.
r. Truncus ex orbita exiens, communicans cum
ſ. palpebrali ſuperiori &
t. naſali.
u. Venula ciliaris anterior ex ramo muſculari orta & ſcleroticam perforans.

Tab. IV. Fig. I.

Iridis fabrica & neruuli ciliares.

a. Neruus opticus.
b. Sclerotica reflexa.

c. Ner-

c. Neruuli ciliares alii maiores anterius in ramos diuiſi.
d. Alii minores, vix ramoſi. p. 212.
e. e. Vaſcula duo venoſa maiora, obiter expreſſa.
f. Foramen in ſclerotica, per quod vaſculum venoſum tranſiit.
g. Vaſculum venoſum minus.
h. Orbiculus ciliaris.
i. Annulus maior iridis. vid. cap. II. ſect. III. §. III.
k. Fibrae iridis parallelae ſerpentinae.
l. Fibrae maiores per arcus inter ſe iunctae, quorum plurimae circulum minorem iridis conſtituunt.
m. Annulus iridis minor, interior.
n. Fibrae rectae ex conuexitate arcuum ad pupillam tendentes.
o. Pupilla.

Fig. II.

Venulae choroidis & iridis. Cap. XI. §. III. IV.

a. Vagina nerui optici a dura matre, diſciſſa & reflexa.
b. Neruus opticus.
c. Venula centralis in nerui ſuperficie decurrens, & prope oculum in ſubſtantiam nerui ſe demergens.
d.d.d.d. Scleroticae quatuor anguli reflexi.
e. e. e. Anguli corneae.
f. f. f. Circulus niger, qui corneam a ſclerotica diſtinguit.
g. g. g. Foraminula ſcleroticae prope corneam pro tranſitu vaſculorum ciliarium anteriorum, arteriarum & venarum.
h. Foraminulum maius pro vaſe vorticoſo.
i. i. Duo vaſa vorticoſa maiora, ab altero latere in plurimos ramulos diuiſa.
k. Ramuli retrorſum euntes, quorum nonnulli occurrunt
l. l. Venulis ciliaribus poſterioribus, prope inſertionem nerui optici ſcleroticam perforantibus.
m. Ramuli anteriores iridem adeuntes.
n. Vas vorticoſum minus, minus elegans.
o. Venula acceſſoria intermedia, vtrique vaſi vorticoſo maiori iuncta, in plurimos ramulos diuiſa. p. 236.
p. Venula ciliaris longa. p. 237.
q. Neruulus ciliaris venulae longae perpetuus comes.

r. Duo

r. Duo ramuli, in quos venula ciliaris longa ſub celluloſitate orbiculi ciliaris diuaricatur.
ſ. ſ. Venulae tres anteriores ciliares abſciſſae.
t. t. Ramuli laterales, quibus venulae ex choroide in iridem tranſeuntes inter ſe communicant.
u. Venulae iridis ſerpentinae parallelae.
x. Lamella anterior iridis reflexa.
y. Pupilla.

Tab. V.

Muſculi bulbi oculi.

Fig. I.

Muſculi cum leuatore palpebrae ſuperioris.

a. Bulbus oculi.
b. Neruus opticus in cauo muſculoſo.
c. Neruus opticus extra orbitam abſciſſus.
d. Portio durae matris, quae a neruo optico abſcedit, vt in perioſtium orbitae abeat.
e. Leuator palpebrae ſuperioris ex angulo diuiſionis durae matris ortus, & in latam aponeuroſin terminatus.
f. Muſculus attollens, magna ex parte leuatore palpebrae tectus.
g. Obliquus ſuperior per trochleam inflexus.
h. Inſertio obliqui inferioris.
i. Muſculus deprimens.
k. Muſculus abducens capite duplici ortus. p. 169.
l. Caput ſuperius minus.
m. Caput inferius.
n. Interuallum vtrique capiti interpoſitum, per quod nerui in faſciculum collecti transmittuntur. p. 170.
o. Primus ramus nerui quinti paris.
p. Huius primi rami, ramus lacrymalis abſciſſus.
q. Ramus frontalis abſciſſus.
r. Ramus naſalis.
ſ. Rami naſalis ſurculus, qui radicem longiorem ganglii opthalmici conſtituit.
t. Neruus tertii paris.
u. Neruus ſexti paris.

Fig. II.

Muſculi oculi ſine leuatore palpebrae.

a. Bulbus oculi.
b. Neruus opticus intra orbitam.
c. Neruus opticus extra orbitam.
d. Portio durae matris, quae in perioſtium abit.
e. Leuator palpebrae prope originem abſciſſus.
f. Muſculus obliquus ſuperior per trochleam inflexus.
g. Muſculus attollens.
h. Tendo eius prope inſertionem dilatatus.
i. Muſculus adducens.
k. Vterque muſculus modo dictus prope ortum inter ſe connexus, vt inde pateat, leuatorem palpebrae in origine ad vaginam nerui optici non pertingere, ſed vtrique muſculo eſſe impoſitum. p. 248.
l. Muſculus deprimens.
m. Muſculus abducens.
n. Caput ſuperius cum attollente connexum.
o. Caput inferius.
p. Interuallum vtrique capiti interpoſitum.

Fig. III.

Tendo communis, vnde muſculi abducens, adducens & deprimens originem ducunt. Cap. VIII. §. III.

a. Neruus opticus prope ingreſſum abſciſſus.
b. Septum oſſeum diffractum, foramini optico, & fiſſurae ſphenoideae initio rotundo interiectum.
c. Dura mater abſciſſa, vbi in perioſtium orbitae abit.
d. Muſculus attollens, ex diuiſione durae matris ortus, abſciſſus.
e. Leuator palpebrae ſuperioris abſciſſus.
f. Tendo communis, vnde tres muſculi adducens, abducens & deprimens oriuntur.
g.g.g. Propagines tendineae ex ligamento communi ortae, ad muſculos ſuos abeuntes.
h. Muſculus abducens.
i. Muſculus deprimens.
k. Muſculus adducens.

Fig.

Fig. IV.

Muſculus obliquus ſuperior. Cap. VIII. §. X.

a. Neruus opticus ſitu motus & deorſum inflexus, vt origo obliqui ſuperioris eo melius in conſpectum veniat.
b. Muſculus abducens abſciſſus.
c. Interuallum vtrique capiti huius muſculi interiectum.
d. Muſculus attollens prope ortum abſciſſus.
e. Inſertio huius muſculi in bulbum oculi.
f. Leuator palpebrae abſciſſus.
g. Muſculus adducens abſciſſus.
h. Origo muſculi obliqui ſuperioris ex perioſtio parietis internae orbitae.
i. Tendo per trochleam inflexus.
k. Trochlea.
l. Tendo prope inſertionem ſenſim dilatatus.
m. Inſertio obliqui inferioris.

Fig. V.

Muſculus obliquus inferior. §. XI.

a. Bulbus oculi.
b. Muſculus abducens.
c. Muſculus deprimens.
d. Obliquus inferior ex ora anteriori orbitae ortus.
e. Inſertio huius muſculi in bulbum oculi.

Tab. VI.

Nerui oculi.

Fig. I.

Nerui bulbi & muſculorum oculi.

A. Bulbus oculi.
B. Glandula lacrymalis.
C. Muſculus abducens.
D. Muſculus attollens.
E. Leuator palpebrae.

F. Muſculus deprimens.
G. Muſculus adducens.
H. Obliquus ſuperior.
I. Trochlea.
K. Pars muſculi obliqui inferioris.
L. Carotidis decurſus in receptaculo.
M. Carotis in cauitatem cranii penetrans.
N. Arteria opthalmica ex carotide orta.

a. Neruus opticus foramen ſuum tranſiens.
b. Neruus quinti paris in cauitate cranii.
c. Nerui quinti paris ramus tertius.
d. Eiusdem ramus ſecundus.
e. Ramus primus.
f. Primi rami e. ramus frontalis in duos ramos iterum diuiſus.
g. Primi rami e. ramus naſalis.
h, h. Rami g. ramuli ciliares ſuper neruum incedentes. p. 209.
i. Rami e. ramus lacrymalis.
k. Neruus quarti paris.
l. Neruus ſexti paris duplex in receptaculo.
m. Radix duplex nerui intercoſtalis a ſexto pari.
n. Sexti patis inſertio in muſculum abducentem.
o. Truncus nerui tertii paris.
p. Tertii paris ramus ſuperior, minor.
q. Rami p. ramuli ad attollentem muſculum.
r. Rami p. ramulus ad leuatorem palpebrae.
ſ. Tertii paris ramus inferior maior.
t. Rami ſ. ramus ad muſculum adducentem.
u. Rami ſ. ramus ad muſculum deprimentem.
x. Rami ſ. ramus ad obliquum inferiorem.
y. Ganglion opthalmicum, nexu cum neruo optico ſolutum, & ad exteriora reuolutum, vt diuiſio nerui paris tertii pateat.
z. Radix breuior ganglii opthalmici, a neruo obliqui inferioris.

1. Ganglii radix longior a ramo naſali quinti paris.
2. Neruorum ciliarium faſciculus ſuperior, quem quatuor hic neruuli faciunt. p. 206. ſqq.
3. Faſciculus inferior.
4. Faſciculi inferioris ramulus extrorſum a reliquis ſecedens.

5. Ramulus alterutri ſurculo h. h. ex neruo naſali orto inſertus, ad latus externum nerui optici infra faſciculum ſuperiorem adſcendens.

6. Faſciculi inferioris neruus ciliaris inferior interior.

Fig. II.

Ganglion opthalmicum cum neruulis ciliaribus. Cap. IX. §. VII. VIII.

A. Muſculus attollens paulo reuolutus, vt facies inferior, cui neruus inſeritur, pateat.
B. Leuator palpebrae.
C. Portio carnea trochleatoris.
D. Tendo trochleatoris cum trochlea.
E. Portio muſculi adducentis, cum ramo nerui tertii paris.
F. Portio deprimentis cum ramo nerueo, quem inſertum ſibi habet.
G. Muſculus abducens ab interna facie viſus.
H. Inſertio obliqui inferioris.
I. Portio palpebrae ſuperioris obiter expreſſa.

a. Neruus opticus.
b. Neruus quarti paris abſciſſus.
c. Neruus ſexti paris muſculo ſuo inſertus.
d. Neruus tertii paris.
e. Ramus ſuperior.
f.f. Rami e. ſurculi ad muſculum attollentem.
g. Rami e. ramus ad leuatorem palpebrae.
h. Nerui tertii paris ramus inferior.
i. Ramus ad deprimentem.
k. Ramus ad muſculum adducentem, vterque obiter expreſſus.
l. Ramus ad muſculum obliquum inferiorem.
m. Nerui quinti paris ramus frontalis abſciſſus.
n. Eiusdem ramus naſalis.
o.o. Neruuli duo ciliares ex naſali orti.
p. Ganglion opthalmicum lateri exteriori nerui optici annexum.
q. Radix longior a ramo naſali quinti paris.
r. Radix breuior a neruo l. muſculi obliqui inferioris.

ſ. Faſciculus neruulorum ciliarum ſuperior ex tribus neruulis compoſitus.

t. Faſciculus inferior maior.

u. Surculus ſemper extrorſum flexus & longo ambitu ad bulbum accedens.

x. Faſciculi huius ramus inferior interior, alterutri ramo ex naſali orto inſertus.

Tab. VII.

Fig. I.

Membranula coronae ciliaris, cuius ope lens cryſtallina cum vitreo iungitur, & canalis Petitianus flatu turgens. Cap. IV. §. III.

a. Humor vitreus.

b. Lens cryſtallina.

c. Annulus ſerratus ex pigmento nigro conflatus, anteriori parti humoris vitrei & coronae ciliari inſtratus.

d.d. Bullulae, in quas membranula coronae ciliaris, flatu immiſſo, eleuatur.

e. Vulnuſculum, per quod flatus immiſſus fuit.

Fig. II. III.

Arteria lentis cryſtallinae in facie eius poſteriori conſpicua, & quidem fig. I. magnitudine naturali, & fig. II. microſcopio aucta. vid. cap. V. §. IV.

Fig.

Fig. IV. V. VI.

Tres figurae lentis cryſtallinae ex hominibus diuerſae aetatis, & quidem fig. IV. ex infante recens nato, fig. V. ex infante aliquot annorum, fig. VI. ex homine adulto viginti circiter annorum, vt inde pateat, lentem ſemper eſſe eo conuexiorem, quo propior homo eſt origini. vid. cap. V. §. I.

Fig. VII.

Lens cryſtallina, quae in aqua macerata in ſquamas triangulares dehiſcere incipit. p. 132.

Fig. VIII.

Glandulae ſebaceae Meibomianae, a facie poſteriori palpebrarum viſae. Cap. XII. §. IV.

a. Tarſus palpebrae ſuperioris.
b. Tarſus palpebrae inferioris.
c. Canthus internus.
d. d. Plexus glanduloſi, qui vulgo glandulae Meibomianae dicuntur.
e. e. Orificia illorum plexuum in margine extremo palpebrarum.

Fig. IX.

Inſertio leuatoris palpebrae ſuperioris. p. 249.

a. Canthus oculi internus.
b. Palpebra inferior.

c. Apo-

c. Aponeuroſis muſculi leuatoris palpebrae.
d. Glandulae Meibomianae per aponeuroſin conſpicuae.

Fig. X.


Viae lacrymarum.


a. Orificia glandularum Meibomianarum.
b. Membranula ſemilunaris ante carunculam lacrymalem.
c. Caruncula lacrymalis. cap. XIII. §. I.
d. d. Puncta lacrymalia.
e. e. Duo canaliculi prope ſaccum naſalem inter ſe coniuncti. §. II.
f. Saccus lacrymalis.

Errata typograph.

p. 112. not. Z. lin 2. pro *pupillis* lege *papillis.*
124. not. * pro fig. *3.* lege. fig. *1.*
194. lin. 21. pro *nerui ſecundi* lege *nerui tertii paris.*

Tab. I.





P. Kaltenhofer del. ad nat. et ſc. cum ſequent.

c. Aponeuroſis muſculi leuatoris palpebrae.
d. Glandulae Meibomianae per aponeuroſin conſpicuae.

Fig. X.

Viae lacrymarum.

a. Orificia glandularum Meibomianarum.
b. Membranula ſemilunaris ante carunculam lacrymalem.
c. Caruncula lacrymalis, cap. XIII. §. I.
d. d. Puncta lacrymalia.
e. e. Duo canaliculi prope ſaccum naſalem inter ſe coniuncti. §. II.
f. Saccus lacrymalis.

Errata typograph.


p. 112. not. Z. lin 2. pro *pupillis* lege *papillis.*
124. not. * pro fig. *3.* lege. fig. *1.*
194. lin. 21. pro *nerui ſecundi* lege *nerui tertii paris.*



I. P. Kaltenhofer del. ad nat. et ſc. cum ſequent.

f [M]

Fig. 3.







Fig. 1.



Tab. II.

Fig. 3.





Fig. 2.



Fig. 1




Tab. III.
Fig. 3.
Fig. 1.
Fig. 4.


Tab. III.
Fig. 2.
Fig. 3.
Fig. 1.
Fig. 4.

Tab. IV.

Fig. 1.





Fig. 2.



Tab. IV.

Fig. 1





Fig. 2.




Tab. V.
Fig. 2
Fig. 3.
F. 4.
Schmidt ſc. Brunſv.



Kaltenhofer delin — Schmidt sc Brunsv




Fig. 1.




Fig. 2.

Tab. VI.





Fig. 1.



Fig 2.


Tab. VII.
a
∂
c
e
∂
b
f. 4.
5.
6.
7.
2
F. 3.
F. 10
a
c
e
b
∂
f
e
a


Tab.VII.
F. 8.
F. 1
f. 4
5.
6.
7
F. 3.
F. 2
F. 9
F. 10

14654